


THEOLOGIÆ

INSTITUTIONES

AUCTORE

C. GUTIERREZ

TOMI II

VOLUMEN I

[illegible]

Typis [illegible]

MDCCCXLIII

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ.



SACRÆ THEOLOGIÆ

INSTITUTIONES

In 4 tomos pro 4 scholæ cursus annis

distributæ novaque Methodo digestæ

AUCTORE

Nob. Viro

PRESB. DON CAJETANO GUTIERREZ

AB ITIRI IN SARDINIA

R. Turrit. Univ. Collegii primum Theologici Doctore,
S. Dogmatum nunc Ecclesiasticæque Hist. Professore,
Examinatore pro-Synodali,
Et *ordinario* Acad. *Philologicæ* Sassarit. Socio.

TOMI SECUNDI

VOL. I.


EXCUDEBAT AZZATI

SACERI

1843.

Docete me, et ego tacebo. **Ex Job c. VI.** *Fateor* **enim,** *me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, et scribendo proficiunt.* Aug. epist. CXLIII ad Marcellinum.

Noli tamen, *meas litteras ex tua opinione vel contentione, sed ex divina lectione vel inconcussa ratione corrigere.* Idem Aug. lib. 3 de Trin. procem. ad Lectorem.



PARÆNESIS

AD CANDIDATOS JUVENES.

« Virtute infiori i scritti tuoi; la fresca
« Sua rugiada vi sparga, e in essi viva:
« Se poscia e' muojan, sol per lei t'incresca.
APPIAN. *Son. CVI.*

Vestra studia, dilectissimi, vestra in literas sanctamque vitæ disciplinam studia intueor hoc loco: quem volo quasi vestibulum ad Mysterium *incarnati Numinis*, ad Mysterium *Gratiæ* illinc nobis impensæ. Numen pro nobis natum et cruci suffixum noster sit veræ scientiæ piæque vitæ Magister: ejus gratia tanquam Sol illuminans ac confovens ab intellectu caliginem, a præcordiis mortale gelu propulset. Tenebra est plena discriminis *ignorantia*, luctuosa mors *vitiositas* atque peccatum. Heu! fuge, nate Deo, teque illa jam eripe, hac te morte subtrahito. Dispeream ante, quam tibi, o juvenis, simulata sensa divendam: cor tibi meum, utilitas in me tua, ratio, Religio, loquantur ac clament.

Qui fecit te sine te, Deum, tui auctorem habes atque principium: ipse est tibi meta atque felicitas. Tuum ergo opificem, primum tibi principium et finem extremum, a principio ad finem in omnibus adora: ut adores, agnosce; ut agnoscas, stude; ut studeas, exora. Nisi hoc feceris, infecta sint omnia.

LITERARUM STUDIA.

I.

Quid et quale hoc studium? dicat Cicero Rhetoric. libro 1-25: *est animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio; ut philosophiæ, poeticæ, geometriæ, literarum*, adde, » uti et Jurisprudentiæ, Medicinæ, Theologiæ ». Noster quoque Augustinus de Trinit. libro 10 studium dicit *ardentem instantemque voluntatem*. Quare, cum eodem ex libro de Utilit. credendi, studiosum vocamus illum, qui ea, quæ ad animum nutriendum liberaliter atque ornandum pertinent, impensissime requirit.

At sub hæc videndum, ne simus vitiose curiosi: tales sunt, qui ea requirunt, quæ nihil ad se pertinent. Quamobrem, verbis utor Augustini de Doctrina Christ. l. 2, videtur mihi, ingeniosis adolescentibus beatamque vitam quærentibus salubriter præcipi, ut nullas doctrinas, quæ præter Ecclesiam Christi exercentur, *secure sequi audeant tanquam ad beatam vitam capessendam*, sed eas sobrie diligenterque dijudicent: et si quas invenerint noxias, omnino detestentur; et a superfluis ac luxuriosis studium alienent: quæ ad societatem conviventium valent, pro ipsa hujus vitæ necessitate non negligant. Verum, per omnia *adprime in vita esse utile, ut* NE QUID NIMIS, expressit Terentius in *Andria*, et noto Græci

terunt adagio, μηδεν ἀγαν, ibidemque inculcat Augustinus. Patiaris hoc verbum: solummodo in Deo amando *nil nimis.*

II.

De fine studiorum proposito pauca. Prostant trita et sancta Melliflui verba: » sunt, qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant; et turpis curiositas est: et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi; et turpis vanitas est... sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant; et turpis quæstus est: sed sunt quoque, qui scire volunt, ut ædificent; et charitas est: et item, qui scire volunt, ut ædificentur; et prudentia est. » *Horum omnium*, concludit, *soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ.*

Sperne interea ventosas hominum laudes: aut si his alliceris, ut ad majora coneris; eas in sanctissimam uberioremque Dei laudem, *tanquam*, ex Augustino, *de Mincio in Eridanum emigrans*, refer et dirige. Censorum item, qui dentibus et felle non carent, tuam adversus scientiam morsus sperne generosior: ego enim te admoneo, prout Dioscorum Augustinus, *eum, qui talium putatorum linguis tanquam falcibus concidi timet, lignum esse aridum, et ideo non putari tanquam indoctum et hebetem, sed vere esse atque convinci.*

III.

Velut itaque alterum Uticensem Catonem majoremque Plinium, studiosum te volo, et quasi libris heluantem; sed bene studentem, ut sicut errorem, ita et tumorem vites, in quo virulenta latitat labes. Te esse volo et opto scriptorem, ut studiorum fructus magis permaneant in alios; sed bonum in bono scriptorem, res enim bonas, ait Tullius in Tusculanis, *verbis electis, graviter ornateque dictas quis non legat?*

Te aliorum esse percupio Magistrum; sed non austeritate tristem, nec comitate dissolutum, non in corrigendo acerbum, nec in laudando effusum: *nam id quidem multos*, ait egregie Fabius Quintil. libro II c. 2, *a proposito studendi fugat, quod quidam sic objurgant, quasi oderint.* Huc voco et apto Gregorium Magnum, cujus obrizo pretiosiorem auro sententiam habeas: *talis debet esse dispensatio regiminis*, (scholici quoque), *ut is, qui præest et arridens timeri debeat, et iratus amari.*

IV.

Hoc addo attendendum, quod ait Romanus ille præceptor alibi: nihil in studiis parvum est: nitamur semper ad optima: ita forsan, sed non aliter, evademus in summum. Sunt ingenita adjumenta quædam, latus patiens laboris, valetudo, constantia; quæ si modica obtigerunt, possunt ratione ampliari, inquit idem Fabius in Proœmio. Si potes, cur non ergo prudenter ampliare studes ?

Sed bona ipsa omnia ingenii studiique, pergit ille, sine doctore perito, studio pertinaci, legendi ac scribendi dicendique multa et continua exercitatione, aut nihil aut non valde prosunt. Cur ergo multi ingeniosiores aliis, cum desidiosissimi sint, tamen aliis se doctiores etsi studiosissimis haberi aut præsumunt aut prætendunt ! ! Hi sine tonitru fulgurant.

V.

Imprimis itaque, quo verum tuæ menti et lucidum sapientiæ sidus oboriatur, *divinum auxilium omni devotione atque pietate implorandum est, ut intentio constantissima bonorum studiorum teneat cursum suum, a quo eam nullus casus excutiat, quominus illam philosophiæ tutissimus jucundissimusque portus accipiat.* Quis hæc ? non ego; sed

sanctus doctissimusque Augustinus initio secundi libri contra Academicos. Ipsa enim est Dei gratia; quæ tibi dat studium studiorumque dulcedinem, sicut tam magnum illud dedit studium in corde Titi, 2 *ad Cor.* 8.

Inter procellas autem tempestatesque studiosorum hominum, tot inter syrtes ac scopulos, ais, aura divinæ gratiæ poterit ne tranquillum ad portum adducere? quænam poterit aura viros sæculi ac omnem præcipue juventam? juventutem sua ejus ætate vitiis juxta et literarum studiis acclinem? Præsto sum tibi, carissime, si præbeas aurem.

VI.

Si cereus ad vitium es, cur *monitoribus asper?* si cæcus, cur ducatum abjicis? *commisisse cave, quod mox mutare labores:* sed qui facile, inquis, inflector ad vitia, idem a monitoribus deflector, absterreor. At sublimis cupidusque cum sis, et flecti in bona studia cereus; hæc ideo adripe cupidus, ad sublimia veræ gloriæ templa contendens; et virtutem, veræ tranquillitatis sedem unicam ac portum, appete.

Aliter multa te senem circumvenient incommoda; qualia nempe, ferax vitiorum, ætas juvenilis non sine prægravi incommodo conceperat, virilisque heu! statim ætas cum dolore parturiit; qualia ætas amare lacrymans senilis excipiet, et inexpiata demum damnis gehenna cumulabit æternis.

VII.

Quamobrem vitæ procellas tempestatésque prætexis? cur sæculum insimulas, nec in eo secessum ad studia invenis? Utinam de mea diceret Sardiniensi terra, quod de Germania, Tacitus! *nemo illic vitia ridet; nec corrumpere et corrumpi, sæculum voca-*

tur: at, inter nos etiam, nostri sunt mores, qui sæculum præstant bonum aut improbum; qui secessum abigunt, et inveniunt; qui passionum æstus fluctusque concitant. Hæ sunt, quæ a studiis abstrahunt, industriam et laborem oderunt, bonisque simul cum studiis virtutem ac Religionem exterminant, et hujus istam vitæ et alteram infelicitatem arcessunt.

Virtutes Animi.

VIII.

Consectaminor itaque, juvenes, virtutem ac pietatem, quæ solæ non æternam tantum, sed et hujus temporis ac sæculi infelicitatem avertunt. *Nemo malus felix*. Ethnicus Juvenalis, satyra 4, tanquam christiane sapiens hoc dicit. Neu mireris. Ille etiam Lucretius, Epicureus, ideo et atheus, non sat laudatus ut vates, nunquam sat exprobratus ut philosophus, illud fatetur, id ipsum prædicat; quod non sacri præcones solum et solitarii asceteriorum incolæ, sed malus quisque, jam expertus et ab luxuriæ ebrietate revocatus, flendo declamat:

. . . . *Medio de fonte leporum*
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.

Sum memor utique humanæ meæ cognationis, ut non irascar hominibus implacabiliter. Sed juvenes annos nimium juvenantes, quin et decrepita multorum vitia, castigare vellem; si quomodo possem errorum vitæ labefactare radicem. Data est mihi, magisque mihi præceptori meorum, quæ data est unicuique cura de proximo.

Radix porro capitalioris infectionis hæc est: quod sibi blandiantur juvenes, multi immo senescentes, proh pudor! effutiant, liberiorem adolescenti ætati, quam adultæ, competere potius ducendæ vitæ ratio-

nem !!! quantus hic est error ! quanta ex hoc fonte in omnem ætatem alluvio malorum ! quam raro compescat suo etiam senectus annorum aggere, quantot immo mortales in profundo teterrimoque lacu mergi contingat ! Audiant vero propheten Jeremiam in Threnis: *bonum est viro, quum portaverit jugum ab adolescentia sua.*

Bonum est, ais: quis negavit? At ergo quæritandum mihi, quare sit bonum. En dicam: » quia ordinario rerum cursu, qui pietatem sedulo non sectatur juvenis, nec sectabitur adultus et senex. » Verba terrifica hominibus sese aliosque eblandientibus! patribusque familias ac filiis! Ea vobis insculpite, adolescentes; quæ non ipse, sed in sua tum pia, tum peramæna atque perampla *Catechesi Christiana* vir magnus P. Boriglionius adnunciavit, id præmittens, quod notes et apprime custodias: » satagere debemus, ut amemus serviamusque Deo in juventa potissimum. » Hoc ergo, Deus ! cum Psalte medullitus efflagito: *corrigat adolescentior viam suam in custodiendo sermones tuos*: quia secus, ex divinorum Proverbiorum Auctore, *etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*

Sermones itaque profanos devitet; aut cum non eos valet effugere, timens inaudiat, ceu perterricrepa pavidus quisque tonitrua audire solet: devitet *Romanticos* fabularum auctores, si doctrina vacui, pleni vero sint profanis amoribus. Lege Philotheam, parvum eximiumque libellum B. Francisci Salesii: affectus animi deterge; detersos inflamma *Imitatione Christi*, quam cælesti ore proponit A-Kempis, vel quisque sit sic inscripti auctor opelli. Christianum quemque pudeat literis imbutum, hos jamdiu ac sæpius non pervolvisse libros. Quid eosdem circa libros de seminariorum alumnis edicam? ii recogitent, qui præ-

Non mihi succenseas, o sæculum, me *sacricolam* vocans. Tuum attende, non rigidum, qui immo Deos, ut de Epicuro Tullius, *re tollit, oratione relinquit*, sæcularem hominem Lucretium, lib. 4 de Rerum Natura:

Et quicumque dies multos ex ordine ludis
Adsiduas dederunt operas, plerumque videmus,
Quom jam destiterint, ea sensibus usurpare,
Reliquäs tamen esse vias in mente patenteis,
Qua possint eadem rerum simulacra venire:
Permultos itaque illa dies eadem obversantur
Ante oculos, etiam vigilantes, ut videantur
Cernere saltanteis, et mollia membra moventeis;
Et citharæ liquidum carmen, chordasque loquenteis
Auribus accipere, et consessum cernere eumdem;
Scenaïque simul varios splendere decores.
Usque adeo magni refert studium atque voluntas,
Et quibus in rebus consuerint esse operati
Non homines solum, sed vero animalia cuncta.

Quam porro verissima hæc sunt, experientia teste! A tuo jam theatro per noctem quid somnias? en reponit alius, profanus et ipse poeta: *omnia quæ sensu volvuntur vota diurno - pectore sopito reddit amica quies.* Sed fundimus ne etiam vane ad Deum publicas Ecclesiæ preces? aut pro nobis tantum Sacerdotulis funduntur infirmis? annon et pro sæculi hominibus sub diei exitu, hora instante theatri, instanter deprecamur = *procul recedant somnia, et noctium phantasmata, hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora*? Siccine comprimis hostem, qui hostem inescas? siccine amoliris, qui phantasmata per diem perque plateas in mente pateris imprimi, in lingua velut insculpi, in sermonibus exprimi, cantillans sæpe et theatralibus intendens aut casibus aut fidibus? Audias, iterum audias Lucretium, Epicuri sectatorem, eodem libro a vers. 1057; quo loco nil est, ait Cree-

chius, in toto Latio, quod æque legi oporteat, venenatum adversus amorem; si tamen christiane defæces quasdam Gentilis illius maculas, silentio et nocte tegendas:

Sed fugitare decet simulacra, et pabula amoris
Absterrere sibi, atque alio convertere mentem.....
Ulcus enim vivescit, et inveterascit alendo,
Inque dies gliscit furor, atque ærumna gravescit.....
Adde quod absumunt vireis, pereuntque labore;
Adde quod alterius sub nutu degitur ætas:
Labitur interea res, et vadimonia fiunt,
Languent officia, atque ægrotat fama vacillans.....
Et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ,
Interdum in pallam, ac Melitensia, Ceaque vertunt.

Interim dum voluptaria luxuries succrescit spectaculorum pabulo, dum *interea tacitæ serpunt in viscera flammæ—et mala radices altius arbor agit,* Ovid. ajente de Rem. amoris; crescit in juvenculis, alia malorum altrix, luxuria vestium, quam parentes Censoresque morum hac utinam tempestate coerceant. Omitto lenocinia faciei, in quam ohe quam bene cadit Martialæus iste risus! *Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est—Pars vulsa est: unum quis putet esse caput?* Luxuriem intuebar indumentorum: quum tamen in his maxime locis, et hic verius quam Romæ, *hic vivamus ambitiosa paupertate omnes,* auctore Juvenale, qui tandem satyra 3 subdit:

. . . . Ultimus autem
Aerumnæ cumulus, quod nudum et frustra rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio tectoque juvabit.

X.

Ast quo me meorum patriæque charitas rapit? Etiamne doleam, honoratiora civitatibus instituta a nobis exulare, aut saltem, ubi theatra fulgent, illa squa-

lere? oh! probra locorum!.... Digredior anne? Versor in incepto; dum a captandis spectaculis passionumque pabulis juveniles animos averto. Quo in ipso profanis sæcularium linguis utor cum ad obterendam sæculi frontem, tum ad demulcendam juvenis aurem.

Obaudi interim Jobo, naturalem juxta legem Idumæo sanctissimo: *Sustinete me, et ego loquar, et post mea, si videbitur, verba ridete... Quare ergo impii vivunt?... tenent tympanum et cytharam, et gaudent ad sonitum organi... in puncto ad inferna descendunt, qui dixerunt Deo: recede a nobis.* Quid tu autem Job? *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.... ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina... semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Quo vero fit novo miraculo, frater, tuis ut tu cum oculis pangas pactum in theatris, et non ibi recogites, si videaris ac videas, et virgines et non virgines? qua fit arte, ut tot inter flabella libidinum et blandimenta sensuum, musicasque cantiunculas et sonos non exardescat ignis ad perditionem, ac genimina virtutum eradicet?

Meticulosiorum, ain', et incontinentium hunc esse clamorem? nonne his philosophia reclamat urbanior? - O sæculi miserabile perfugium! et *verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis!* Prodeat ergo philosophus ac medicus, isque recens et in nostra adhuc vivens urbanitate temporum, Cl. eruditissimusque Joseph Frankius, partis II *Praxeos Medicæ Universæ* sectione 2 cap. 21: » Ad amorem disponunt... educatio effeminata, musica, studium poeseos, artium liberalium in genere, fabulæ milesiæ... Ad conciliandum amorem quid valeat musica, res in propatulo est. S. Hier. ad Lætam scribens jubet, ut filia ejus surda sit

ad organa; tibia, lyra, cythara ad quid facta sint, nesciat. » Insuit item inter amoris causas otium; unde Ovidius: *otia si tollas, periere cupidinis arcus.* Addit insuper: » excitatur amor... a choreis imprimis per saltationem volutabundam, a frequentatione theatrorum, a spectaculis domesticis »: ubi subnotat, quæ hodie fictæ in sic dictis *théâtres de société* agitantur scenæ, has sæpe nimis postridie reales evadere.

Hæc non erunt fortassis affatim: ecce ergo ex tanto viro sæculari curam moralem; unde magis sæculum pudeat effutire sæcularia: » Educatio hodierna per universam Europam, Anglia quodammodo excepta, vulgata, quatenus effeminata et vana, non satis religiosa (quid profanus ad hæc indignabundus oblatret?) musicam artem saltatoriam, plus quam par foret extollens... juvenibus libertatem nimiam concedens, et fere semper super natales et familiarum conditionem, allatas causas potius intendit, quam relaxat. Ut amor illicitus arceatur... optima id efficiendi ratio in objecti periculosi præcipite fuga consistit... ne de aliis nonnullis auxiliis jam adversus hypocondriasin commendatis, excepta tamen musica, loquamur ». *Musica,* inquit, *excepta*: nam recte subtexitur, amatoriis detentorum compedibus aures obturandas esse, ne Sirenum cantus audiant, et offendatur animus. » Quorum autem auxiliorum, *concludit ille, non cucullatus certe monachus,* nullum certe extat, quod consolationi e religione christiana petitæ æquiparare possit, inprimis, si offensæ Dei futurique supplicii, peccatis alligati, ratio habeatur, ac preces fervidæ, peculiare voluptatis genus in fidelibus excitantes, effundantur. » *

---

* Scio, quid contra, circa musicen, admurmurent. Adversa præoc-

XI

Plura omissa facio consectaria. Transmitto, Juvenes, memoriæ damna: nam ut clavus clavum trudit, sic bonorum studiorum ideas in ideisque puram mentis voluptatem impura voluptas; non capit enim omnes simul affectus limitata animi facultas. Frustra hinc ad memoriam juvandam augendamque adhiberes *mnemoneuticas artes*, sceptici Metrodori præcepta, Lazari Meyssonnerii aliorumve *pentagona*. Necquicquam curabis *mnemosynalgiam*, ut ajunt, aut *amnesiam*; sive esum cæparum, uti præscribunt, adverseris, sive item,

---

cupabo, si hæc e Theologis breviata documina exhibeam. In templis, etsi psalmodiæ usus sit utique vetustissimus, musica tamen instrumenta ipsaque organa videntur apud primævos christicolas inaudita. Et quanquam subinde VI sæculo aliquam eorum mentionem inducat Fortunatus Pictaviensis; nihilominus sero quoque ævo D. Thomæ christianis moribus parum congruere censebantur. En quid ille tradat 2-2 q. 91 a. 2: « Hieronymus non simpliciter vituperat cantum, sed reprehendit eos, qui in Ecclesia cantant more theatrico... neque fistulæ ex Philosopho 8 Polit. 6, *ad disciplinam sunt adducendæ*, *neque aliquod aliud artificiale organum*... In veteri autem Testamento usus erat talium instrumentorum, quia populus erat magis durus et carnalis »:

Non quosque tamen in templo canentes appellamus ipsi, cum Wicleffo, Sacerdotes Baal: nec musici nunc soni nobis sint horridiores. Mulceantur aures, sed simul salutariter, ex Augustino, non pœnaliter moveantur affectus.

In id sane intuita est Trid. Synodus sess. 22, aliæque post et ante eam Synodi; ex quo nimirum instrumenta musica a. 660 in Ecclesiam invexit Vitalinus Papa; quæ Conventus exinde Synodales in domo Domini tolerarunt, caventes interim voluptarios theatralesque concentus ac sonos. Consule Mediolanense 1, Braccarense II, Toletanumque IV, de quibus Schram. Quid quod Coenobitæ strictiores nonnulli nec organa in suis ecclesiis admittunt? disciplinam sectantur antiquam. Vide, ne modernam præpostere depraves, neve in mundanis synagogis nimium disciplinam extollas sive infernam sive terrenam, aut ne cum eadem, o Itale, o Sarde, nimium effoemineris!

Horatio infensissimum, *epodi III*, allium oderis. Quid hæc horumque similia profuerint? nisi otio et otiantibus, cumque his et venere et vino, ipsa cicuta nocentioribus, abstineas: quam tamen labem tibi in mortem theatra propinant, dum cælicas e regione dapes, quas tibi ut vitæ immortalitatisque semen templa proponunt, te fastidire jubent.

Stomachaberis hinc etiam tui Rectorum spiritus admonita! etenim austera atque molesta dices sacri cujusque rectoris vivarumque Ecclesiæ tubarum ad virtutes invitamenta. Quintilianum igitur ethnicum obtendo: pervelim, ei saltem auscultes. » Certe neque intelligentiam concesseris iis, *inquit Lib.* 12 *cap. primo,* qui, proposita honestorum ac turpium via, pejorem sequi malunt, neque prudentiam; quum in gravissimas frequenter legum, semper vero malæ conscientiæ, pœnas a semetipsis improviso rerum exitu induantur. Hominem malum esse, nisi stultum eundem, non modo sapientibus dicitur, sed vulgo quoque semper est creditum... Nec studio quidem operis pulcherrimi vacare mens, nisi omnibus vitiis libera, potest ».

Pergit sapientissime Romanæ præceptor juventutis: » Quod si agrorum nimia cura, et sollicitior rei familiaris diligentia, et venandi voluptas, et dati spectaculis dies multum studiis auferunt... quid putamus facturas cupiditatem, avaritiam, invidiam? quarum impotentissimæ cogitationes somnos etiam et illa per quietem visa perturbant. Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens... Quis inter hæc literis aut ulli bonæ arti locus? non hercle magis, quam frugibus in terra, sentibus ac rubis occupata. » Hæc tota mente sedeant, totoque pectore concludas.

XII.

Dicent ne quidam obstinatiores, hujuscemodi similia e Socratica Catonianaque domo prodire? Tantum ne ex illa? e quibusque ergo profanis domibus tantam convincamus amentiam. Quoniam virtute nil amabilius nihilque jucundius atque felicius, sine eaque immo nil patriæ quietum, nil animis utile, *nihilque* ex Tullio *laudabile*; virtutem tibi, o fili, vobisque Christicolis, o profani, proclamet amicamque conciliet, non austerorum, sed comissimorum turba Gentilium, atque ex his chorus immo Poetarum, quo etiam atque etiam rubor offundatur. Horum ergo voces ac sensa, ut suavius instillentur animo, italico versu ex Aloysii Racine aureo *de Religione* poemate, interprete Appiano, depromam: deinque, quatenus dictorum messis aureorum studiosis suppetat, latinas subjiciam mea non tenui cura sententias.

« Tutto è pieno di Giove . . . . *(1) Virg., alii.*
. . . . Irato ei sdegna
D' impura man le offerte, e il cuor domanda
All' innocente in dono . . . . *(2) Pers..*
. . . . Ah! sì, compiango
Chi offendere mi volle, e di vendette
Qual siasi cura al Ciel clemente affido. *(3) Juv..*
Se odiar chi m' odia i' non potrei, quai dritti
L' amico non avrà? Fammi ingegnoso
Ad iscusarlo il cuore: in pace soffro
Io d' esso i falli, ogni mio fallo ei scorda. *(4) Horat..*
A quanti veggo amor m' attrae: ben sento
Ch' uom sono, e nulla che d'uom sia, mi è strano. *(5) Ter..*
All' inope dolente, al pellegrino,
Che il Ciel m' invia, sollecito fo' parte
Degli agii miei: chè per me sol non gli ebbi. *(6) Plaut..*
L' opulenza del Ricco è quanto ei dona;
Donare? oh vera incomparabil gioja! *(7) Mart..*
L' uom benefico in terra i numi agguaglia. *(8) Virg..*
. . . . . Chi fiamma nutre impura,

Benchè ei l' asconda immacolato i sensi,
Non men sozzo è nell' alma. *(9) Tib..*
È de' Celesti
Primo dono il pudor; tenero giglio,
Degli uomini delizia e degli Dei,
Di bel giardino il più gentil decoro: *(10) Hor..*
Cui basta a scolorir, se un venticello
Contro vi soffi audace. *(11) Cat..*
Amore, amore,
Lunsighevol se' tu; ma i caldi voti
Sol lice al tempio coronar d' Imene. *(12) Claud..*
Non vigoria d' affetti il cuor m' allaccia,
Nè il mondo è tale, che a' fallaci io corra
Inviti suoi. *(13) Hor..*
Di cupidigia ignaro
E di rimorsi, il mio contento i' pongo,
Ove locommi il Cielo . . . . *(14) Mart..*
Gl' instanti avido colgo, in che il grand' astro
Su me sparge i suo' rai: rai preziosi! *(15) Id..*
. . . . Oh come spesso
Di sovverchio alla terra e a noi mal noti
Morte ci coglie. . . . . « *(16) Lucr..**

---

* Quocumque me vertam cuncti remittunt ad mores, etiam bene non morati Gentiles, natura tamen et utilitate compulsi. Interea sententiarum censum, ne vel ulla fraus adpareat, instituam. 1° Virgilius sic Ecl. 3, *ab Jove principium, Musæ, Jovis omnia plena;* quod est ab Arato et Theocrito acceptum: Horatius autem gravem addit memorandamque sententiam lib. III Odarum 6, *Dis te minorem quod geris, imperas; hinc omne pincipium, huc refer exitum.* 2° Persius sub finem sat. 2: *demus id superis... compositum jus fasque animo, sanctosque recessus — mentis, et incoctum generoso pectus honesto;* quod ex Theocrito item, imitante Lactantio.

3° Juvenalis sat. 13, quam a vers. 184 ceu evan-

gelicam in Pagano mirabere, sic notat: *minuti — semper et infirmi est animi exiguique voluptas — ultio.* Idque ipsum habet Seneca *de Ira* lib. 2; ajens e contra *de Clem.* 4, magni animi esse injurias et offensiones superne despicere, muliebre esse furere in ira. 4° redit Horatius I libri satira 3: *at pater ut gnati, sic nos debemus, amici — si quod sit vitium, non fastidire... Parcius hic vivit; frugi dicatur... caldior est; acres inter numeretur. Opinor, — hæc res et jungit, junctos et servat amicos.* Insidet linguis Flacci sententia: utinam et cordibus!

5° Terentii, Heautontimorumenon I, hæc est vulgata, nec ita vulgo perpensa: *homo sum, humani nihil a me alienum puto.* De quo Cic. lib. de Legibus 12 et alibi; et Juvenalis etiam. sat. 15, *quis enim bonus... ulla aliena sibi credat mala.* 6° comicus alter Plautus accedit, Poenuli V: *te esse oportet et nequam et malum, hominem peregrinum atque advenam qui inrideas.* Peregrinos item et pauperes a Diis ad nos mitti, affirmat Homerus in Odyssea.

7° Martialis famosum insuper epigramma legere proderit lib. quinti sub num. 42: *extra fortunam est,* ait, *quidquid donatur amicis;* dictoque concludit Marci Antonii dicentis, *hoc habeo quodcumque dedi.* 8° autem Virgilius nivea deorum vitta cingendos eos dicit Æneid. sexto a vers. 660, qui utilia patrarunt, *quique sui memores alios fecere merendo.* Iidem, ex noto Ciceronis, nulla alia re magis, quam beneficentia, Diis appropinquant; de qua ipsum libro 1 de Legibus 18, eumdemque *de Officiis* I-14 intente perlegas. Quisnam hinc generosior non percalescat animus?

Ad reliqua, eaque speciatim attendenda, transeo. 9° Tibullus ita monet libro I elegia 6, *nec sævo sis casta metu, sed mente fideli:* aliter, inquit impurus

Amorum magister de iis libro III-4, *quæ, quia non liceat, non facit, illa facit;* etenim animus, *omnibus occlusis, intus adulter erit.* An ergo severior Christus, de eo, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, ajens, jam mœchatum esse eam in corde suo? 10° pudicitia Horatio dicitur in priori Satirarum, 4, *primus virtutis honos.* Quid multa? mirus in ea laudanda servandaque tragicus Euripides; qui castitate fuit tanta, tamque in mulieres acerbus, ut μισογύνης idest *mulierum osor* jamdiu cognominetur ex Suida, Moscopulo et Gellio.

11° Catullus autem pudoris custodiam inculcans sic illam carmine 62 describit: *ut flos in septis secretus nascitur hortis, ignotus pecori, nullo contusus aratro ... sic Virgo;* quod ipsum imitans, egregie refricavit Ludovicus Areostus. 12° Claudianus, *epithalamio Palladis*, de Hymenæo ita scite: *nullum junxisse cubile hoc sine; nec primas fas est attollere tædas:* pro nostro itidem magno, in Christo et Ecclesia, Sacramento, tu Christiane, assumas, quod simillimum expresserat Catullus carmine 61.

13° Horatius jamvero contra distortos vehementesque animi motus illud eo sensu habet I lib. epistolarum, initio sextæ: *nil admirari prope res est una, Numici,—solaque, quæ possit facere et servare beatum;* unde et II Odarum 3, *æquam memento rebus in arduis servare mentem, non secus in bonis ab insolenti temperatam lætitia, moriture Delli.* Confer Epictetum enchirid. 49 cœterosque passim. 14° Martialis apprime, quæ vitæ quietem faciant, recenset noto pueris epigrammate 47 lib. X, concluditque: *quod sis, esse velis, nihilque malis; summum neque metuas diem, nec optes.* Hoc postremum et Senecæ monitum est; sed mihi fideli datur, quod

cupiam dissolvi, ut sim vivamque cum Christo.
15° Bilbilensis iterum ad suum Julium Martialem libro V-20, *nostrum*, ait, *nunc vivit sibi neuter, bonosque soles effugere atque abire sentit, qui nobis pereunt, et imputantur*: hinc lib. X-44, *at non et stamina differt—Atropos, atque omnis scribitur hora tibi*. Cur ejus ergo tantam pateris jacturam ?
16° Lucretius ad extremum paucis, sed vivide: *mors immatura vagatur;* quamobrem eo ipso magis, *omnem, crede, diem tibi illuxisse supremum*, ut monet vates..... Quid autem mihi cum vatibus? Sit res omnis cum Christo: *stulte hac nocte animam tuam repetent a te... quæ autem parasti*, in mundo interque mundanos, *cujus erunt*? Inferni tropæa!

XIII.

Non satis mihi facerem, si in his ego sisterem. Essemus jam omnes, sic vagando per solos ferme Gentium hortos utcumque florigeros, hominibus quidem ornati, sed Deo fortasse inodori nobisque infœcundi. Quapropter, florilegi nos in arbore vitæ CHRISTO in ejusque evangelio et cruce, colligamus mystica ibi lilia ac rosas, per omnemque vitam, ex Basilio, una cum rosis spinas: eliciamusque vividis ipsius Domini Jesu fluentis unguentisque Gratiæ pretiosiora iis ex floribus sanctitatis aromata ad sempiterne gaudendum. Eamobrem id Thomæ a Kempis hunc in finem accipe munusculum, de Imit. Christi lib. III cap. 9: illius, inquam, Thomæ, *devotorum indevotorumque mallei*, cujus suavis odor adeo Deo placens ascendit, cujusque vita suaviter adeo ab Heriberto Ros-Weydo tibi compingitur; cujus etiam quatuor *de Imit.* libellos *Artopæus* quidam latiniores fecit, et mala ante illum fide *Castalio*: varii autem

Græcos etiam fecere, Gallicos, Hispanos, Germanicos, quin et Bohemicos atque Hungaros; immo, nedum Italicos sæpius, præter alia idiomata, Arabicos insuper ac Turcicos.

Eo loci itaque, an putas, ait ipse, quod homines sæculi nihil parumve patiantur? non hos invenies, etiamsi delicatissimos quosque quæsieris. Sed dum adhuc delectationibus ac deliciis affluunt, non sine amaritudine in eis, tædio ac timore quiescunt. Illas, subdit, inordinate sequuntur: juste fit igitur, ut cum amaritudine expleant. O quam turpes, quam falsæ, quam breves sunt omnes! verumenimvero miseri præ ebrietate cæcitateque mentis, velut muta animalia, propter modicum contemptibilis vitæ delectamentum, mortem animæ incurrunt. Tu ergo, fili, concludit *Ecclesiastici* gravi monito, *post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere*; sed cum David Rege *delectare in Domino* tantum. Sis etiam, tu o studiose, tu fili, addam ego tandem, hujus semper rei memor: in Romana scilicet urbe templum adsurgebat *Honoris*; verumtamen consultissime ad illud, nonnisi per templum *Virtutis* ituro, patebat aditus.

Jam habetis, optimi Juvenum, quantulumlibet est, quod serio ab initio pollicebar. Jam forte habetis, ut Tullii ad filium verbis eloquar, *a Patre munus, mea quidem sententia, magnum; sed perinde erit ut acceperitis*: quæ ille profert in aureorum epilogo librorum *de Officiis*.—Quos probe quum modo memoraverim, usque et usque eosdem, si profanis etiam incumbere arrideat, tibi commendo, ut lectione eorum usque affatim studio virtutibusqes nutriaris: quippe helluo librorum Plinius, in suæ Historiæ procemio ad Ves-

proborum: communi vero Scripturarum et SS. Patrum consuetudine collectionem notat Fidelium christianorum; quos Paulus in suis passim epistolis *vocatorum* nomine insignit. Est autem istud *Ecclesiæ* vocabulum minus proprie aliquando et materialiter acceptum pro loco, in quem Dei cultores coeunt, ut lib. Judith c. 6, *per totam noctem intra Ecclesiam* oraverunt; alias vero proprie ac formaliter usurpatum pro ipso Fidelium cœtu, ut sæpe sæpius in sacro eloquio apparet.

Hoc posteriori modo intellecta *Ecclesiæ* vox aut late sumitur, prout complectitur tum Ecclesiam *triumphantem*, Sanctos videlicet, qui in Cœlis coronati triumphant, et cum Christo regnant; tum *patientem* seu flentem Ecclesiam, justos scilicet, qui in Purgatorio flammis expiandi divinæ satisfaciunt justitiæ; tum quoque *militantem*, nempe *ab Abel justo* ante vel post Christum Fideles militantes in terris, atque ipsosmet bonos Angelos, prout antea viatores: aut vero stricte sumitur, sicut nos sumimus hoc loci, pro externo ac vivo mystico Corpore, cujus anima est interna Fides, Spes et Charitas, idest pro societate Fidelium Christianorum in terra militantium; quo sensu, quidquid obstrepant Hæretici, absolutissime definitur = *Cœtus hominum baptizatorum unius et ejusdem Fidei christianæ professione et eorumdem Sacramentorum communione adunatus sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue Rom. Pontificis.* Ita Bellarminus lib. 3, et

cum eo et cum cardin. Perronio Catholicorum agmen. *

Istorum hæc difinitio nos ducit ad inquirendum in Membra Ecclesiæ, quæ suum corpus visibile constituunt; in ejusque Notas, quibus ipsa innotescit; ac in Dotes, quibus exornatur, firmissimumque præstat Theologis argumentum ad contutandam fidei doctrinam. Sit ergo quæstio hæc tripartita, et primo, quænam sint, indigitet

---

ECCLESIÆ MEMBRA. I. *Non soli justi itaque, et ad gloriam prædestinati, sunt in Ecclesia; sed etiam mali et reprobi Christifideles ad ejus corpus attinent.* Quod principio contra Catharos et Novatianos ac Donatistas, Lutheranos et Calvinistas, quoad peccatores; tum contra jam damnatos in Constantiensi Wicleffum atque Hussum, quoad reprobos, ex recta fide statuimus. Ecclesia etenim in apertissimis Christi Domini parabolis (omitto ipsarum numerum istosque apud Legrand versiculos » Ecclesiam Christi parabola quina figurat – Area, convivium, retia, pascua, ager ») comparatur *areæ* Matt. 3, *convivio nu-*

---

* Ecclesiæ sic definitæ varia in Scripturis attribuuntur nomina, quæ per metaphoram varios quosdam ejus characteres indicant. Ista sunt præcipua, quibus sparsim dicitur – Domus Dei – Civitas Dei – Regnum Christi – Regnum Cœlorum – Corpus Christi – Ovile Christi – Cristique Sponsa – ideoque Regina – castrorum acies ordinata – hortus conclusus – Jerusalem. Has aliasque voces illustrat Augustinus; quarum plerasque nos hic illic in hisce Commentariis attingimus.

ptiali ibid. 22, *decem virginibus* c. 25, atque etiam *sagenæ, magnæ domui* et *agro:* jamvero, quod ipsum Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Fulgentius Magnusque Gregorius argumentantur, in area simul cum frumento paleæ reperiuntur ; ad convivium boni simul et mali confluxerunt; ex virginibus autem quinque prudentes erant et quinque fatuæ; in sagena quoque pisces et boni concluduntur et mali; in magna domo vasa sunt aurea, argentea, lignea, testacea; in agro demum, » interque nitentia culta, lappæque et tribuli et steriles dominantur avenæ »: ergo item in Christi Ecclesia in unum ejus idemque corpus cum probis hominibus et prædestinatis, si de christifidelibus loquimur, nequiores etiam manifesti, peccatores ac reprobi coalescunt. Sic Judas, etsi reprobus, erat utcumque cum Christo et in Ecclesia; at in ea nondum erat, tametsi prædestinatus, Ecclesiæ persecutor Saulus: ex quo fit, ut non soli, nec omnes omnino prædestinati, sint actu in Ecclesia. Ad hæc, constat, improbos, qui correpti Ecclesiam audire noluerint, ab Ecclesia ejici posse, sicut ab Apostolo Corinthius incestuosus, publici auctor scandali, ejectus fuit; qui proinde prius erat intra Ecclesiam: constat iterum, pro peccatoribus institutum esse Pœnitentiæ Sacramentum; sacramenta autem eorum sunt dumtaxat, qui in Ecclesia versantur. Item non soli prædestinati recipiunt fidem et baptisma, per quæ in corpus Christi transimus, non vero per prædestinationis gratiam: quæ aliunde cum invisibilis sit, invisi-

bilis ipsa esset Ecclesia, nec ideo obvia foret, si solis prædestinatis tota coalescat.

At nonne præscitos ac impios Scriptura et Patres dicunt extraneos ab Ecclesia? Id dici quandoque, non inficior: sed tunc de Ecclesia Triumphante, vel de Militante immaculata loquuntur. Scilicet vel reprobos, quoad finem gloriosum Ecclesiæ militantis æternamve salutem ab iis minime consequendam, extraneos ab Ecclesia affirmant: vel utrosque, præscitos impiosque, ideo dicunt extraneos, quod, ubi per peccatum a charitate exciderunt, non sunt ii membra viva sed putrida, non immaculata membra columbæ, non fructuosi palmites in vite. Quæ tamen arida et tabescentia membra atque resecanda, etsi non attineant ad Ecclesiæ animam, quæ interioribus Spiritus Sancti donis fide, spe et charitate constituitur; nihilo tamen secius ad visibile corpus Ecclesiæ per externam unius ejusdemque fidei professionem, Sacramentorumque communionem, subjectionemque proprio Pastori debitam jure ac certo spectant: quod fuit in Ecclesiæ finitione præmonstratum; quodque recta petit Protestantis Schuberti finitionem ac systema.

II. *Ast publici Hæretici, ii videlicet, qui palam profitentur doctrinam hæreticam, atque manifesti a tota fide Apostatæ non sunt Ecclesiæ membra.* Hoc sciscimus contra Novatores, ac præcipue Jurium suo Calvinistam furore contentioso famosum, breviterque hoc ipsum conficimus; primo quia tales juxta illud Ep. 1 Jo. c. 2 - 19, *ex*

nobis exierunt, sed non erant ex nobis: si enim perduelles exierunt, quo pacto perduelles in Ecclesia consistunt? ipsa ergo manifesta hæresis eosdem ab Ecclesia detrudit. Dein vero Paulus vult, Hæreticos devitari: haud tamen vitandi forent, si nobiscum membra ejusdem ecclesiastici corporis et societatis essent. Sic cum aliis apud Bell. SS. Doctores Cyprianus, Hieronymus, Aug. affirmarunt: confirmavitque Nicæna Synodus, quæ can. 8 et 9 modum præscribit, quo Hæretici ad Ecclesiam redeuntes Ecclesiæ reconcilientur; necnon Constantinopolitana can. 6, ubi Hæreticos appellat *abdicatos ab Ecclesia, avulsos, abscissos:* quod magis in Apostatas quadrare, nemo vel stipes stupidusque non sentit. Equidem hæretici homines et Apostatæ, ut verbis Pauli loquar, *circa fidem naufragaverunt,* nec coadunantur in unius fidei christianæ professione, ut habet definitio, quam supra produximus: ergo nec in Ecclesiæ voce et gremio comprehenduntur; quidquid sit de ea Juris canonici quæstione, quam et nos alibi attingemus, num notorii illi errantes serventur saltem ac maneant in jurisdictione Ecclesiæ, donec a judice ecclesiastico expresse et publice denuntientur extrusi: in quo late Bellarm. l. 2 de R. Pont. c. 30.

Attamen de Apostolis ac Hæreticis occultis diversimode judicandum est; qui, quatenus Ecclesiæ non refragantur extrinsecus, nec abstinent a Dei externo cultu et societate Fidelium, quoad visibile corpus membra Ecclesiæ deputantur.

III. *Non baptizati insuper, sive infideles sint, sive etiam Catechumeni, qui videlicet ad baptismum disponuntur; ut notorii quoque excommunicati excommunicatione majori*, (de qua nos ubi de Censuris), *extra corpus Ecclesiæ existunt.* Etenim non baptizatos infideles longe ab Ecclesia exulare, probat splendidissimum ad eos attinens Pauli Ap. eloquium 1 Cor. 5, *quid mihi*, ait, *de iis, qui foris sunt, judicare?* quis oggan-niat, ex. gr., Turcam Mahumetanum, suum ceu filium, matris Ecclesiæ sinu confoveri? Catechumeni etiam non sunt proprie et actu intra Ecclesiam, quia nondum in eam ingressi, nondum consignati christianæ fidei Sacramento, Baptismo nempe, qui est ex Scriptura et Florent. Concilio *vitæ spiritualis janua,* per ipsum enim *membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiæ.* Ita cum Nazianzeno, Chrysostomo, Cyrillo, Tertulliano pluribusque aliis et cum Bellarmino communius. Nec movet, quod Catechumeni dicantur membra Christi, et salvari possint, si ante susceptionem Baptismatis emoriantur: ideo nam ipsis salus obtingit, quia per fidem ac spem et perfectam caritatem, cum voto Baptismi, tanquam membra lato sensu a Christo capite participant influxum vitæ supernaturalis, et sic vitam quoque sempiternam nancisci possunt; licet ad Ecclesiam nonnisi pollentia proxima, utpote illius in vestibulo stantes, aut solummodo quoad illius animam pertineant, quia Christo per baptisma necdum inserti, necdum Ecclesiæ judicio subjecti. — De

excommunicatis autem, et de excommunicatione in refractarium lata peccatorem communiter DD. interpretantur hoc Christi Matt. 18, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus:* Ethnicum vero et non baptizatum infidelem partem Christi Ecclesiæ constituere, quis effutiat? Quare Cypr. ad Pompejum ep. 62, *spiritali gladio et superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur;* et in c. 3 Ep. ad Tit. S. Hier. *fornicator*, ait, *adulter, homicida et cætera vitia per Sacerdotes de Ecclesia propelluntur.*

Quod si forte Patres, prout Augustinus Lib. contra Donatistas c. 20, excommunicatos non separari adstruant a populo et Ecclesia Dei: aptissime eos PP. intellige vel de excommunicatione minori, quæ profecto non eliminat ab Ecclesiæ societate et bonis omnibus; vel etiam de excommunicatione majori, quam tamen inficiantur ferri in perpetuum sine spe reditus, quo probe modo illos separari negant a Dei populo: fit enim excommunicatio ad tempus, ut hac medicina refractarius *ad humiliorem pœnitendi locum* adigatur. Non ergo nutat illud caput assertionis; quod potius jure etiam Canonico roboratur. Imo tota ad solidum assertio nostra ex Ecclesiæ definitione suopte cursu dimanat; quacum Viatores baptizatos, atque eorumdem Sacramentorum bonorumque per ea communium participatione colligatos, in cœtu Ecclesiæ complexi sumus.

IV. *Denique et Schismaticos, qui palam a legitimo Pastore desciscunt,* » propria sponte et

intentione se ab unitate Ecclesiæ separantes, » inquit Angelicus, *Ecclesiastici membra corporis non esse, pertendimus:* idque evidentissimo jure adversus impios Sectatores. Revera quidem Cant. 6 ita Ecclesia celebratur, *pulchra es, amica mea... una est columba mea;* et Jo. 10 *unum ovile* dicitur, *et unus Pastor* ejusdem; ac 12 Rom. *unum corpus* a Paulo Ap. appellatur: ab hac igitur Ecclesia, quæ una est, non solum per fidem unam unumque baptisma, sed quoque per unionem membrorum inter se, et cum uno ejus capite visibili Christi in terris Vicario, R. Pontifice, Schismaticus quisque unionem hanc disrumpendo discedit, a totoque corpore abscinditur; etsi fidem, in qua alioquin non diu manet, uti Hieronymus observat, intemeratus profiteatur Ecclesiæ, et Ecclesiæ sacramenta percipiat. Quapropter cum permultis aliis Optatus Milevitanus lib. 1 contra Parmen. de Schismaticis ait: *deserta matre Catholica, impii filii, dum foras exeunt, et se separant a radice matris Ecclesiæ, invidiæ falcibus amputati errando rebelles abscedunt.* Unde et Cypr. sic Ecclesiam definierat: *Plebs Sacerdoti adunata et Pastori suo grex adhærens;* qualiter se nostra tenet Ecclesiæ definitio.

In ea sane contra Launoium postremam conditionem, *sub regimine legitimorum Pastorum*, quam ille velut superfluam abradit, nos subtexuimus ceu ad essentialia spectantem: ut inde constaret, regi Ecclesiam capite, rectore, prout suo quodvis Corpus, Civitas, Regnum necessarie con-

stat, nihil enim est anarchia deterius; utque ideo constaret, Schismaticos, a Capite eive unito Episcopo subjectisve utrique membris abscissos, ab Ecclesia penitus abscindi, a familia divini Patris, ab domo salutis avelli. Si quis enim, ut ad Philadelphenos nostras inquit Ignatius, verus ille juxta Tillemontium *unitatis* Apostolus, *si quis schisma facientem sectatur, regni Dei hæreditatem non consequitur.* Verum cum sint ista satis de Membris Ecclesiæ, me vocant

---

ECCLESIÆ NOTÆ. I. Hujusmodi Notæ ea sunt signa, per quæ Christi vera Ecclesia ab adulterinis Hæreticorum Schismaticorumque Societatibus, quibus solemne est, ut falso sibi Ecclesiæ nomen usurpent, evidenter internoscitur evidentia morali. Illæ autem, (etiam omnes, duabus postremis exceptis, a Bellarmino numeratæ), ad quatuor reduci possunt, quas Symbolum Nicæno – Constantinopolitanum hisce verbis designavit, *credo... Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam.* Nec enim tanquam *proprias, sensibiles* ac veluti prominentes, ipsaque Ecclesia *notiores,* quales sint oportet Ecclesiæ *Notæ,* notas admittimus, quas primum Calvinus omnesque post eum cum Schuberto Novatores indicarunt, *errantes et in errorem mittentes,* idest sinceram Evangelii doctrinam et rectam Sacramentorum Christi administrationem. His namque characteribus, præterquam quod insensibiles sint et cognitu difficiles, ac ipsa Ecclesia minus posteriusque

noti, Romanam Ecclesiam nos insigniri prætendimus, Sectatores e diametro eos apud se retineri contendunt: quo ergo pacto ad lydium hunc lapidem improprium nostra eorumque dijudicanda Societas? * — *Erit igitur* Unitas *prima nota genuina veræ Christi Ecclesiæ, quæ una esse debet unitate fidei et doctrinæ substantialis, unitate baptismi aliorumque Sacramentorum, ac unitate Capitis, idest Christi et ejus Vicarii Rom. Pontificis, unionisque cum eo Pastorum et membrorum inter sese colligatorum,* cum unitatis isto principio, *Ecclesiæ auctoritate.* Quo certe exploditur impium effusi *Tolerantismi* systema, a Chillinworth, Hobbio et Lokio, post Juriæum, male item pejusque expositum. Nam revera est ex Apostolo *unus Deus, una fides, unum baptisma;* ac esse debet Ecclesia ex Jo. *unum ovile, et unus Pastor;* atque ex eodem *unum corpus, et unus spiritus:* et hinc una usquequaque Christi spon-

---

* Bellarminus lib. 4 de Ecclesia cap. 3 ita censum instituit Notarum Ecclesiæ: » 1ª, ipsum Ecclesiæ Catholicæ et Christianorum no- « men; 2ª, ejus antiquitas; 3ª, ejus duratio nusquam interrupta; 4ª, « credentium multitudo; 5ª, Episcoporum successio in Sede Romana; « 6ª, conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua; 7ª, unio membro- « rum inter se et cum Capite; 8ª, sanctitas doctrinæ; 9ª, efficacia « doctrinæ; 10ª, sanctitas vitæ auctorum sive primorum Patrum no- « stræ Religionis; 11ª, gloria miraculorum; 12ª, lumen propheticum; « 13ª, confessio adversariorum; 14ª, infelix exitus seu finis eorum, « qui Ecclesiam oppugnant; 15ª, felicitas temporalis divinitus iis col- « lata, qui Ecclesiam defenderunt. » At e Catholicis bene multi duas hasce postremas non ut Ecclesiæ Christi proprias agnoscunt.

sa et Ecclesia, a qua proinde extraneus salvari nemo potest. Nedum Patres, Catholici omnes ipsique, generali saltem *unitatis* notione, Protestantes, hanc esse veræ Ecclesiæ naturam, adseverant.

Jam certo Ecclesia Romano-Catholica vere una est, estque Romana Sedes centrum unitatis: quia sicut illa triplicem, quam dixi nuper, unitatem habet; ita hæc jure divino primatum obtinuit in universa Ecclesia, quæ ex Irenæo, Hieronymo aliisque tota ei *convenire* et *consociari* tenetur. Sed et sola Romano-Catholica, novicia in Tolerantium conceptu distinctione rejecta articulorum fundamentalium et non fundamentalium, hanc habet unitatem omnimodam: quæ quidem Scholasticorum dissensionibus, quas Forbesius et Pictetus exaggerant, minime disrumpitur. Certo certius vero Societates Acatholicorum quoad fidem, in articulis etiam fundamentalibus, et Sacramenta disjiciuntur ex Bossuet, ipsoque Schuberto: atque adeo turpiter, ut nunc temporis numerentur fere centum diversissimæ Sectæ, circa substantiam mutuis collisæ contentionibus, ab uno Luthero prodeuntes; ac penitus inspectæ hæreses omnes, in multis cum auctoribus suis dissentientes, ex Tertulliano, deprehendantur: quod fit, ait pulchre Bellarminus post D. Hilarii observationem l. 7 de Trinitate, magna providentia Dei, ut hoc modo hæreses seipsas absumant. — Cæterum Apostoli locum percelebrem, in quo systematis sui de admittendis in unum Ecclesiæ corpus Hæreticis atque Schismaticis vallum fossamque repo-

suit Juriæus, sic recte Estius exponit variantes inter alios, qui tamen Jurio nunquam favent: » Expositio illius contrahenda est ad doctrinam, quæ fundamento rectæ ac sanæ fidei, quod Christus est, superstruitur, ut videlicet per aurum, argentum et lapides pretiosos intelligatur doctrina pura, sincera et solida conducens ad pietatem . . . per ligna vero et fœnum et stipulam doctrina non quidem hæretica aut perniciosa, talis enim fundamentum destrueret, sed minus sincera minusque solida, veluti si humanis ac philosophicis aut etiam judaicis opinionibus admixta. »

II. Alteram nunc perpendamus Ecclesiæ Notam, quæ in triplici etiam et fundatorum et professionis ac doctrinæ, præcipuorumque membrorum *Sanctitate* consistit. Principio verbis ipsis Apostoli 5 ad Ephes. hanc figimus assertionem, eisdemque probamus: *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit seipsum pro ea, ut illam sanctificaret, ut sit sancta et immaculata:* ergo sancta esse debet Christi vera Ecclesia, estque reipsa sancta ea, quam censui, sanctitate; in quo ipsi cum Orthodoxis Hæterodoxi conspirant. Sed negant hi rabido cum Jurio, per exaggerationem et calumniam, Catholico-Romanam sanctitate potiri. At, versa vice, sola Ecclesia Romana est sancta, sanctitate, quæ nota est veræ Christi Ecclesiæ.

Annon ejus auctor Christus fons est universæ sanctitatis? annon Ecclesiæ fundatores Apostoli et apostolici Viri nedum exteriori sanctitate, verum et coram Deo interna, miraculisque orbi te-

stata, fuerunt insignes? Nonne fidei et Evangelicæ ethices puritatem, sanctum et inviolabile depositum sibi a Christo transmissum per Apostolos, servavit hactenus sacratum confirmatumque miraculis; ac *profanas novitates* spurcamque doctrinam, flagitia, corruptelas constantissime rejecit, proscripsit, improbavit? Quot demum membra ejus præcipua, Episcopi, Sacerdotes, Cœnobitarum Ordines, cumque ipsis laici viri permulti, quibus *mundus crucifixus est, et ipsi mundo?* in queis sane, præ quacumque alterius Religionis secta, late splendet et cum alta adeo *sapientia* consociatur alma virtus; cujus utique virtutis et sapientiæ societatem in christiana catholica Religione, sua tanquam in sede et domo, regnantem, uti perspicuam illius tesseram et divinum hinc Ecclesiæ nostræ characterem edisserit atque nervose eleganterque proponit Card. Sfortia Pallavicinus in sua artificiosissima – *Arte della perfezion cristiana,* lib. 1 c. 16 sub medium. Hæc, cum nostra miraculorum gloria ac luce, in impuras Hæreticorum Sectas non quadrare, lippi et tonsores norunt: quippe malæ arbores fundatores hæresum earumque propagatores, fructus edendo pestiferos, fidei præcludunt bonisque moribus januam, et vitiis omnibus ac impietati patefaciunt. Nec mitto illud Tertulliani *de Hæret. præscript.* dictum, quod maxime ævi nostri incredulis, Deistis scilicet jam hodie invalescentibus, simul et *Reformatis* aptarim: *plerique nec Ecclesias habent; sine matre, sine sede, orbi fide, extorres,*

sine lare vagantur. Papæ! pulcerrima excellentissimæ sanctitatis insignia! Suam ecce Ecclesiam ut probe vocant *Evangelicam* Pseudo-Reformati! quam probe seipsos *Evangelicos* appellant! *

III. Catholica appellata est Ecclesia, ex D. Aug. et Cyrillo Hieros., propter universalitatem, quod καθολικον graeca dictio subindigitat, quam latine *secundum totum* interpretabere. *Porro Catholica esse debet ex vi suæ institutionis, ac est revera propria Jesu Christi Ecclesia.* Talem adstruimus contra Donatistas, 1° quia omnes orbis universi plagas non cumulative sed diffusive, nec simultanea quidem sed successiva diffusione, ad virorum saltem Apostolicorum tempora, debebat indesi-

---

* Dum propriam hoc nomine Synagogam insigniunt, atque eodem sese magnificant, subit animum, non male huc nec illepide referri posse, quod inter varia narrat anecdota vir adhuc vivens cardinalis Pacca in sua de se, ad Tractum Rheni Nuntio, *Relatione* historica sub finem appendicis. Italica ejus adscribo verba: « Fu bello il motto, quantunque troppo acerbo, del famoso conte d'Avaux celebre ministro e negoziatore della corte di Francia nella Germania. Sentendo, che nei discorsi i ministri ed incaricati de' principi protestanti chiamavano con qualche affettazione l'unione de' loro sovrani e della communione protestante, ora *il corpo evangelico*, or *la chiesa evangelica*, dissimulò più volte, e tacque; ma stanco alla fine di tali jattanze disse un giorno: Si chiamano a ragione evangelici, come gli antichi romani chiamarono Publio Emilio Scipione l'affricano e il numantico per aver distrutte le due famose città di Cartagine e Numanzia. « Scilicet Evangelium tot in locis et Evangelicam Ecclesiam Christique regnum everterunt infernali bello Novatores: perbelle ergo hoc se solum jure et titulo *Evangelicos* appellent!!

nenter occupare, juxta insigne illud Psal. 2 vaticinium, *dabo gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ;* 2° quia per universa tempora in eadem fide perstitura erat usque ad *consummationem sæculi*, Mat. 22; 3° tandem, quia personas cujuscumque nationis, generis, instituti complectitur, juxta præceptum ipsius Domini ad Apostolos, Matt. c. ultimo, *euntes docete omnes gentes, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quæ omnia et gemina sexcenta Sancti PP. de Ecclesiæ *catholicitate* interpretantur. Est vero, in quo magnopere triumphamus, *Catholicæ* nomen soli Ecclesiæ Romanæ conveniens, eique statim post Apostolos inditum, tanquam propria tessera, qua tot spurias inter sectas internoscitur. Nam *diversorum Hæreticorum Ecclesiæ,* inquiebat fidenter Augustinus, quo etiam tempore plurimæ hæreses in orbe grassabantur, cum necdum quoque Gentes extra Ecclesiam innumeræ nihil audierant de Evangelio, *Catholicæ non dicuntur, quia per loca, atque per suas quæque provincias continentur; hæc vero Romana a solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur.* Et longe ante Augustinum Justinus, habente imperium Antonino, Triphoni hujusque sociis Ephesi in Xysti porticu dicebat: *nullum omnino genus est sive Græcorum sive Barbarorum, si quolibet nomine appellentur, vel Hamaxobiorum, qui in plaustris degunt, vel Nomadum, qui domibus carent, vel Scenitarum, qui pecora pascentes habitant in tentoriis, nullum, inquam, ejusmodi

genus est, in quo non per nomen crucifixi Jesu preces et gratiarum actiones Patri et Creatori universorum fiant.

An objicient, Mahumeticam religionem longe lateque patere amplius, prout non bene in suo Lexico *Baylius* adstruit, quam Romana pateat Ecclesia? an etiam, hanc ipsam nec in Anglia esse, in Scotia, in provinciis fœderatis, in majori Germaniæ parte, in Dania, Suecia, Transilvania, Moldavia, Valachia, Russia, cæteris? Hæc garriant; nil inde laborabimus. Etenim primo quoad Mahumeticos sat est nobis, Ecclesiæ *catholicitatem* aliasque notas illam, non ab Antichristi et Infidelium quorumcumque Societatibus, sed a sectis internoscere, quæ se Christianas jactant: aliunde autem spurcissima secta Muhammedana, etsi credentium ipsa non terris, at numero sit commetienda; jam, secus ac Ecclesia Romana, qua etiam minus est frequens, suorum arctata locorum spatiis horum confinia non transgreditur: de quo habes Grotium de vera Relig. libro 2 tit. 81. Secundo in recitatis quoque regionibus adsunt Romano-Catholici, qui non utique dominium, at usum habent suæ religionis, quo ex usu vere possit dici cum Hierosol. Cyrillo: *Regum quidem potestas certis locis et gentibus terminos habet; Ecclesiæ autem catholicæ per universum orbem indefinita est potentia.* Atque ita est ubique fusa per orbem Romana Ecclesia, ut omnes numero sectas singulatim sumptas antecellat: immo a sæculo jam II, ex Tertulliano, latius excrevit, quam

olim creverint Alexandri Romanorumque Imperia.

IV. Quarta denique Ecclesiæ, quæ est Christi, genuina nota est *Apostolicitas*. Quamobrem *Christi vera Ecclesia esse debet Apostolica tum ratione originis suæ ab Apostolis, tum respectu traditæ ab eisdem doctrinæ, tum quoque ratione Pastorum, qui ab Apostolis immediate sive mediate ordinati continua sibi serie succedant, missionem ordinariam aut simul extraordinariam habentes.* De hoc Protestantes et omnes Hæretici conveniunt. Etenim in mystico ædificio Ecclesiæ Christifideles 2 ad Eph. adstruuntur *superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu;* qui quidem, ut ibidem c. 4 prostat, *quosdam dedit Apostolos . . . Pastores et Doctores,* ut Ecclesiam fundarent, fundatamque perficerent. Jamvero inesse Romanæ Ecclesiæ hanc apostolicitatis Notam, probat ex professo Tert. in toto Lib. de Præscriptionibus, probat et Iren. ex instituto in 3 Lib. adversus Hæreses. Ast tale ne quidpiam affirmari probarique potest de una saltem aliqua Novatorum Ecclesia? *edant origines Ecclesiarum suarum*, ut gravissima hæc cum Tert. intorqueam, *evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis Viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem.* Ubi Sabellianorum ante Sabellium, ubi Lutheranorum Secta ante Lutherum? Sed in his non vacat diutius immorari.

Concludam tantummodo, solam Catholico-Romanam, quæ sola veris his characteribus notatur, innotescit, veram esse Ecclesiam, quam Christus instituit, notis splendidissimis affecit, et magnis divinisque dotibus adornavit. *

* Quot magna decora in sola Ecclesia Catholico-Romana! quot grandia, ipsius etiam confessa inimicis, signa bonitatis, et veræ a Christo institutæ Ecclesiæ signa, sigilla, notæque! Notas itaque cum attigerimus, cumque statim Ecclesiæ *dotes* attingamus; hoc medio veluti in loco cum Protestante versari viro, pretiosissima curiositas erit: cum nobilissimo scilicet Lipsiæ cive Leibnitzio, philosopho præ reliquis sublimissimo, forsan et Protestantium Lutheranorum ingenuissimo, ingeniosissimoque historico et Theologo; ne poeseos simul ac Juris Medicinæque gnarum peritumque prædicem.

Hic porro magnus Newtoni æmulus pro nostræ Religionis religiosorumque Ordinum causa proloquatur hoc loci: quanquam enim memini, eumdem in opusculo (contra Wissowatium, socinianum Socini nepotem)-*Sacrosancta Trinitas per nova inventa Logica defensa*-hæc notatu digna scripsisse verba, *Non est scriptoribus ea necessitas imponenda, ut cujus dicendi etiam maxima occasio est, id statim dicant;* eam tamen hic mihi, minima licet dicatur occasio, necessitatem impono, ut ista legentibus non invideam, quæ Reverendissimus *Guerra* Leibnitzii ejusdem verba, gemmis pretiosiora, producit ex cit. a se opere in *notis* ad suam de Cappucinorum laude panegyrin eximiam.

» Quum variis modis, *ajebat Sectarius ille*, pro conditione et ingenio cujusque, divinam gloriam celebrare et prodesse mortalibus liceat; manifestum est, præter eos, qui in rerum actu et communi vita versantur, utiliter admodum dari in Ecclesia homines asceticos et contemplativos, qui remotis vitæ curis domitisque voluptatibus in contemplationem divini Numinis et operum ejus admirationem ferantur, vel etiam propriis negotiis soluti in hoc unum intenti sunt atque excubant, ut aliorum necessitatibus succurrant, sive docendo ignaros aut errantes, sive egentibus atque laborantibus opem ferendo: neque id ex minimis eorum est, quæ Ecclesiam illam (*Romanam*) commendant, quæ una catholicæ nomen et insignia retinuit; in qua sola videmus excellentium virtutum asceticæque vitæ eminentia exempla passim edi atque curari. «

» Itaque fateor, mihi semper religiosos Ordines piasque Confrater-

nitates atque Societates aliaque hujusmodi laudabilia Instituta mire probata fuisse: sunt enim quasi cœlestis Militia in terris, si modo remotis depravationibus et abusibus secundum Instituta Fundatorum regantur, et a summo Pontifice in usum universalis Ecclesiæ temperentur. Quid enim præclarius esse potest, quam lucem veritatis per maria et ignes et gladios ad remotas gentes ferre, solamque animarum salutem negotiari, interdicere sibi variis illecebris atque ipsa jucunditate colloquii convictusque, ut contemplationi abstrusarum veritatum ac divinæ meditationi vacetur? dedicare sese educationi juventutis ad spem doctrinæ ac virtutis, miseris, desperatis, captivis, damnatis, ægrotis in squalore, in vinculis, in remotis terris auxilium ferre atque adesse, ac ne pestis quidem metu ab effusæ charitatis officio deterreri? «

« Quicumque hæc ignorant ac spernunt, *hi nihil nisi plebejum et vulgare de virtute sapiunt*, et hominum obligationem erga Deum solemnium qualicumque obitione et frigida illa vivendi consuetudine, quæ vulgo sine zelo et sine spiritu in animis regnat, inepte metiuntur. »

ECCLESIÆ DOTES. I. Has Ecclesiæ Christianæ *Dotes* seu proprietates res quatuor pari modo constituunt, visibilitas scilicet et indefectibilitas illius, illiusque auctoritas et infallibilitas. *Germana itaque,* quod pono ante omnia, *Christi Domini Ecclesia est semper visibilis hoc sensu, quod singulari quadam perspicuitate inter Sectas omnes ubique gentium omniumque oculis præfulgeat et innotescat.* Id fatebantur suæ defectionis initio Pseudoreformatores: quippe, ut olim Balaam, intima interdum impellente vi, veritati obsecundant veritatis hostes. Cum eos vero Catholici provocarent, ut responderent, ubi suos ante Primipilos Calvinum Lutherumque videretur eorum Ecclesia, prætexerunt, tanto fracti momento rogationis, veram posse Ecclesiam obumbrari, sicque suam aliquando delituisse in tenebris invisi-

bilem, quam ipsi ad lucem excitaverint. *O impudentem vocem!* o insana capita, quæ in negotio fidei, quale istud omnino, modo annuunt, modo renuunt! Quid figuræ illæ, quibus Ecclesia comparatur in Scripturis? comparatur *Soli*, qui ex alto fulget quaquaversus, tum *Civitati* supra montem, et *lucernæ* in candelabro positæ; quæ Augustinus de coruscante illius visibilitate, Pfaffio inique obnitente, passim et copiose commentatur. Patent insuper ejus Episcopi, patet plebs ipsis adunata, visibilis est externa professio fidei, visibilia sacramenta: Ecclesia ergo ipsa est visibilis, et profecto semper; quam potest et semper extraneus inquirere, ut in eam ingrediatur feliciter inventam, aut redeat nefarie desertam.

Verum non videbatur, ajunt, Ecclesia Christi tempore Arianorum: *tunc enim*, ait Hieronymus, *Nicænæ fidei damnatio conclamata est... tunc ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est:* tunc ergo delituit, immo interiit, si et tota penitus erravit. Apage. Fuit enim non a PP. Concilii Ariminensis, sed sic ab Arianis Valente et Ursacio conclamatum; ingemuitque totus orbis de impostura perduellium, miratusque fuit, se esse Arianum apparenter: neque enim ingemiscens doluisset illico doctrinæ, quam sponte novam arripuisset tanto in adversariorum hypothesi consensu. Ingemuerunt ergo Episcopi catholici, quia nullatenus conscii Arianæ perfidiæ, etsi nullius consortes hæresis, ipsi tamen ferebantur hæretici; dum nimirum PP. Ariminenses, fraude Ariano-

rum, suppressioni consenserunt vocis ὁμοούσιος, rati, *non curandum de vocabulo, cum sensus esset in tuto.* At, prout antea fidei medullam ne leviter quidem vitiare voluerunt, sic postea contra Arianorum fucum sparsosque rumores reclamarunt: ut idem Stridoniensis Doctor et ex eo Yprensis Jansenius enarrat; uti ea quoque rei expositione Thomassinus, Dissert. V de Conciliis, conflictantia in speciem Auctorum ecclesiasticorum de Patribus Ariminensibus enunciata componit. Non igitur erravit Ecclesia in fide, non latuit, non defecit ullo modo.

II. *Namque Christi eadem Ecclesia indefectibilis est, non solummodo quoad animam, sed quoad corpus etiam visibile, scilicet in veræ fidei professione eorumdemque usu Sacramentorum, legitimoque regimine Pastorum:* cujus respectu corporis post primos Christi 500 annos ad suum usque Calvinum suumque Lutherum Ecclesiam defecisse, Pseudo-Reformati mentiuntur. Certe divina Christi pollicitatio non deerit: *tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* quod Spiritus ipse Domini prædixit Iesaiæ 61, *fœdus perpetuum feriam eis;* ac iterum 2 Danielis, *suscitabit Dominus Cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Quocirca Hier. in c. 4 Isaiæ: *supra petram fundata Ecclesia nulla tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertitur;* et Ambrosius quæstionem veluti dissolvens, casusque teterrimos Ecclesiæ respiciens, quos Hæretici

pro se citant, lib. 4 Hexam. c. 2 scripsit: *videtur Ecclesia sicut deficere, sed non deficit; obumbrari potest, deficere non potest.* Quî equidem defectionem hanc providentia patiatur providentissimi Numinis? Meritissimo igitur jure Ecclesia Catholica, proût inquit Alexander VII, compluribus munita præsidiis, firmata propugnaculis et armata militibus, inferorum insultantium portas non reformidat. *

III. *Neque patitur sapientia Numinis, ut Ecclesia, quæ domus pacis est et concordiæ, auctoritate careat et Judice supremo controversiarum fidei; ad quas certe finiendas sola,* præter Romanum Hierarcham, *habet divinitus auctoritatem*

---

* Pulcherrima verissimaque sunt, quæ laud. Ambrosius per allegoriam jactatæ navis eloquitur lib. de Salom. cap. 4. « Navem Ecclesiam, *ait,* debemus accipere in salo mundi istius constitutam, quæ crebris ventorum flatibus, idest tentationum plagis et verberibus fatigatur, quam turbidi fluctus, idest hujus sæculi potestas conatur ad saxa perducere. Quæ etsi undarum fluctibus aut procellis sæpe vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium; quia in arbore ejus, idest in cruce, Christus erigitur, in puppi Pater residet gubernator, proram Paracletus servat Spiritus. Hanc per angusta hujus mundi freta duodeni in portum remiges ducunt, idest duodecim Apostoli. «

Jam vero subit animum Horatiana allegoria, cujus initium od. 14 lib. 1, *O navis, referent in mare te novi:* simulque lubet intueri, Romanam rempublicam, aut navem, cui illa respublica assimilatur, intestina procella fractam, externa demum tempestate naufragam, etsi immanem et præpotentem, interiisse; navem autem Ecclesiæ nullo unquam fuisse turbine quassatam, plurimisque licet procellis jactatam, haud unquam naufragasse, nunquam interituram.

Ecclesia docens, Corpus scilicet Episcoporum, qui, aut in Concilio aut extra spectentur, Romano Pontifici adhæreant. His enim seu Ecclesiæ *docenti*, non aliis seu Ecclesiæ *discenti*, dictum præceptumque fuit a Christo, *docete omnes gentes;* eisque tantum se affuturum spopondit perpetua ope, ne errarent: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quid plura congeram, quidve moror? Jugis DD. traditio et constantissimus Ecclesiæ usus hanc maximam veritatem commonstrant: quippe ab initio ad nos usque Religionis controversiæ omnes judicio finali et irretractabili a solis Summis Pontificibus et Episcopis terminatæ nullo non ævo fuerunt, ut Ecclesiasticam historiam pervolventi patet. Hinc nec Scriptura Sacra, nec privatus cujusque spiritus, priori ut alia Dissert. monui, neque ullus princeps sæcularis sunt judices supremi controversiarum fidei. Creant autem ex his judicem alii alium Novatores; Ecclesiam superbientes excludunt, et sic insigniter errant, pessime exauctorando maximum Ecclesiæ tribunal: cujus auctoritate Ecclesiæ nulla est alia major in terris, neque ita aut objectorum multitudine patens, aut numero vastitateque regionum imperans; seu in decisionibus sic potens et inconcussa, seu in præceptis atque disciplinis sic irrefragabilis; sive in præmiis adeo magnifica suisque in pœnis adeo terribilis; vel ita suam ob dignitatem augusta, suam ob originem cœlestis atque divina!

Numquid vero non insignite deerrant? Quî sa-

ne potest in controversia de ipsius sensu oborta suipsius judex esse Scriptura, quæ non ubique clara est, quam etiam pro suo quisque arbitratu et studio Novator, uti morsu pellem sutor, protendit, interpretatur? Neque minus agit in diversa, in præceps, in abrupta privatus spiritus; qui Calvino et Luthero cæterisque suggessit *divinare mendacia,* hæresumque flammas egurgitare. Non etiam Principibus laicis, sed soli Petro ejusque successoribus dixit Dominus, *pasce oves meas, tibi dabo claves regni Cœlorum;* dixitque solis Apostolis, *docete omnes gentes.* Propterea M. Osius Cordubæ Episcopus ita apud Athanasium Imperatori Constantio scribebat: *ne te rebus misceas Ecclesiasticis ... Tibi Deus imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit.*

IV. Jam modo propius hujus Loci theologici soliditatem, infallibilitatem Ecclesiæ determinando, perscrutemur. Ajo statim contra deliramenta Hæreticorum: *dispersæ Ecclesiæ per orbem, non antiquæ solum, sed nunc existentis, imo et præcipue Pastorum, consensus moraliter universalis ab errore vacuus est et infallibilis in definiendis fidei et morum controversiis.*

Profecto si aut fallere aut falli Ecclesia posset, portæ inferi, diabolici errores, tartareaque mala prævalerent adversus eam: atqui tamen nunquam fiet, ut prævaleant, promissore Christo: fiet ergo nunquam, ut fallatur aut fallat. Ad hæc: *Ego rogabo Patrem,* inquit idem verax sponsorque Christus, *et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat*

vobiscum in æternum, Spiritum veritatis... Ipse vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Ipse igitur docuit Apostolos *omnem veritatem:* potius hinc societas erit lucis ad tenebras simulque consistent; quam cum illis ipsius Veritatis, Christi, assertionibus dogmatica per Ecclesiam aut approbatio falsitatis aut damnatio veritatis. Antistites ergo, quos, ex Act. 20, *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei,* eam suo consensu, in fidei morumque magisterio, fallere aut falli nesciunt. Divinorum hisce præconum vocibus concentum adjunge non omnium modo cordatorum Interpretum, sed et sanctorum maxime Patrum. Unde cum Græcis Latinisque Irenæo, Cyrillo, Cypriano, Hier. atque aliis S. Pater Aug. omnium veluti mente et calamo perscribebat lib. 7 de Baptismo: *fiducia securæ vocis asserimus, quod universali Ecclesiæ consensione roboratum est.*

Qualia igitur ex infallibili Christiana Ecclesia, ex hac regula fidei animata, in dogmatibus adstruendis, inconcussa Theologo non suppetunt argumenta? Oculis capti talpæ vident: lymphatico stimulati in Ecclesiam odio sua Novatores sponte non vident.

Sit interim velut corollarium, animadversione dignissimum, sequens totius rei

Conclusio.

1° Ejusdem inerrantiæ privilegio donatur Ecclesia non solum in doctrina morum universalium, sed et disciplinæ generalis; quod de fide constat: cum tunc Spiritus Sanctus assistat, uti

astitit Apostolis, quando abstinentiam, non diu duraturam, a sanguine et suffocato præceperunt, ut prostat Act. c. 15. *

Secus autem in morum et disciplinæ præceptis placitisve, quæ ad privatos Ecclesiamque particularem spectant ad summum; ut in quibusdam facultatibus extraordinariis aut dispensationibus totam ad Ecclesiam minime directis, de queis Benedictum vide XIV lib. 13 de Synodo cap. 21: namque nititur hoc in casu testimoniis hominum, aut viis quidem prudentiæ probabilibus, at non documentis fidei immutabilibus; homines autem fallaces et falsi esse possunt, via etiam prudentiæ quot quantisve rerum humanarum subest adjunctis!

2° Nec errare potest in canonizatione Beatorum, ita ut definitiva ultimo sententia Pontifex Sanctorum catalogo hominem vita functum, qui beatus in Cœlis non sit, adscribat, et universa ab Ecclesia talem haberi cultuque religioso publico honorari jubeat: atque hæc est Canonistarum et Theologorum sententia Catholicorum, certa saltem Ecclesiasticæ certitudine fidei, media ex D. Thoma inter revelatam doctrinam et facta particularia; *quidquid* enim, ait Bened. XIV de Bea-

---

* *A sanguine et suffocato*. Hujusce vetiti videsis enarrationem apud Benedictinum Calmet in præsigni Diction. Biblico v. *sanguis*, et apud Jacobum Tirinum in cap. Genesis 9. v. 4; ubi omnia fusius exponunt. Tamen ego paucis edicam, quod vetus aderat prohibitio a sanguine omni vel farto vel liquido; atque etiam a morticinis et suffocatis, eo quia in iis sanguis est venis adhærens.

tif. etc. l. 1 c. 44, *ex materiæ et testium qualitate pro fallibilitate desumitur, plene submovetur ex divina providentia et Spiritus S. præsentia*, quæ videlicet in re tantæ magnitudinis haud patitur, suo Ecclesiam judicio et trahi in errorem et trahere. Idem prope edisserendum de approbante, (et quandoque præceptum importante), indulgentia Pontificis, ut defunctus aliquis possit *Beatus* appellari, eique in aliqua provincia, vel determinato ordinarie loco aut cœtu, publice cultus exhiberi, qui privatim tamen impendi ubique valet.

Idem scilicet respectu pontificiæ inerrantiæ est edisserendum; sed, citatum juxta Lambertinium, morali solum certitudine, piaque sane, licet non divina in se et infallibili, fide prudentum. De qua probe loquebatur Clerus Gallicanus suam sic concludens ad VIII Urbanum epist. pro Francisco de Sales inter Beatos accensendo: *Dabis itaque, SS. Pater, dabis totius hujusce nostri cœtus precibus... si, quæ tua cœli jurisdictio est, Beatum eum quamprimum haberi jubeas; ut, quod opinione jam omnes præsumunt, certa postmodum fide teneant.* Etsi itaque nulla de his extet aperta definitio, si tamen in eisdem falleretur Ecclesia, quod temere Vicleffo placuit, graviter quoque, nisi in communi doctrina morum, in re saltem gravissima aberraret.

3° Neque in factis, non inquam personalibus iisdemque particularibus nulloque infallibili fulcro suffultis, at doctrinalibus seu dogmaticis, idest in

notando librorum et propositionum sensu, falli Ecclesia ullo pacto potest; quod fide non tantum ecclesiastica, sed et divina, juxta multos, credi debere reor: quum tale illud Ecclesiæ judicium, (cui juxta eosdem assensu mentis intimo, absoluto, irrevocabili, non illo, jam patronis Jansenii pergrato, *religioso silentio* dumtaxat, tenemur acquiescere), ita pertineat ad fidem; ut sine hujus infallibilitate judicii nec SS. Patrum libros approbare, nec pestifera scripta hæreticorum, nec doctrinas propositionesque varias luxuriantium ingeniorum respuere, nec fidem morumve sanctimoniam sartam uno verbo tectamque conservare ab impetu impiorum et Satanæ incursione queat.

Sub hæc tamen, peculiarem si cupias de *Notis Theologicis* inquisitionem, auctorem habes Antonium de Panormo in *Scrutinio doctrinarum* integro volumine, et post alios ex professo multos, seu morum seu dogmatum magistros, Le-Grandii decessorem *Montagnum*. Id nos ea de re prodimus hic addimusque, jure ab Ecclesia posse ac merito consuevisse damnari propositiones *respective*, ut inquiunt, et *in globo;* idest plures simul, quin determinetur, quænam e notis censurisve, una vel plures, singulis competat thesibus in globo damnatis. Qua in praxi, non vitiosa profecto, non inani, infallibilem esse itidem, profiteamur oportet; nisi ipsi ejusque sponsori Christo injuriosi esse velimus, et religioni et rei christianæ publicæ periculosi: et sane nullus unquam fuit e notatis damnatisque articulis, nullus sane est aut

unquam erit, in quem aliqua, seu una seu multiplex, haud vere cadat ex inustis eorum veluti globo notis sive censuris. *

— Hæc omnia perquam satis sunto. Alia alibi plura locum habere poterunt, quæ si hic essent effusiora, a nostris nos institutis longius abducerent. Grates interea persolvamus O. M. D., qui nos non meritis et justitia nostra, sed sua ad Ecclesiam gratia vocavit; quod ipsa Ecclesiæ vox importat: istique nos, in terris militanti, firmiter inhæreamus, fideliter auscultemus; ut ceu membra in triumphanti demum altera cum CHRISTO Capite glorificemur.

---

* Damnatæ ea via propositiones doctrinarumve articuli frequentius infamantur hisce censuris; (hunc enim breviter istarum exhibeo *syllabum* vulgatioresque notiones):

Hæretica ..... inscribitur saltem illa, quæ immediate et directe doctrinam contradicit a Deo revelatam, quam fide credendam Ecclesia proposuerit. Hac etenim proponente, divina et quidem *catholica*, non mere divina *theologica*, fides oboritur: cui, ad distinctionem, juxta plurimos, propositionum mediate vel indirecte fidem attentantium, immediate refragari sit hæreticum; non modo coram Deo, ut accidit respectu divinæ fidei theologicæ, sed ulterius judicialiter in Ecclesiæ foro. Ita, cum Scoto, Suario, Panormitano, Thomistisque communiter, Regnierus et Montagnus.

Hæresi proxima ..... tutius atque expeditius, inter varias sententias, illa dici potest, ait Panormita, quæ in ultimo aut fere ultimo cubat malignitatis *definibilitatisque* gradu, ut declaretur aut declarari mereatur hæretica.

Hæresim sapiens ..... thesis est, ex meliori ejusdem Panormitani sententia, jam catholici, jam prævalentis simul sensus hæretici capax; adeo ut gravis subsit ratio judicandi, illam esse hæreticam.

Hæreseos suspecta ..... illa vero est, quæ pravi illius sensus solam levem, vel ob adjuncta vel ex se, suspicionem ingerit. At quidam tres hasce confundunt doctrinæ notas.

Erronea ..... communi adversa sensui fidelium, opponitur veritati certæ, ut ajunt, theologica certitudine; quæ videlicet, non immediate in se revelata, ex uno fidei placito naturalique altero evidenter elicitur. Ita communiter, ex oppositione mediata cum divinitus tradita doctrina, erroneam ab hæretica discernunt. — Jam facile ex dictis quoque discernas *errori proximas, sapientes errorem errorisque suspectas*.

Temeraria ..... dum absque gravi fundamento repugnans est gravi cuipiam auctoritati; communi, ut puta, SS. Patrum doctrinæ aut constanti DD. sententiæ scholasticorum.

Schismatica ..... ea traducitur, quæ, inquit multa post prænotata Montagnus, viam scissioni unitatis ecclesiasticæ aperit; doctrina nempe aliqua vel simpliciter schismatica, vel etiam schismatico - hæretica.

Ad Schisma tendens ..... quæ sic comparatur, ut schisma seu excitare seu fovere valeat, qualicumque sive medio sive pretextu.

Seditiosa ..... Accito seditionem inter et schisma duplici ex D. Thoma discrimine, seditiosa ea dicitur, quæ adversus sæcularem unitatem pugnans eo vergit, ut seditionis facem accendat aut inobedientiam gignat adversus potestates sæculares. Ita cardinales De-Lugo et De - Laurea cum aliis.

Injuriosa ..... reverentiam subruit aut lædit, cuipiam seu rei seu personæ debitam.

Scandalosa ..... occasionem quæ præbens ruinæ spiritualis, ad peccandum vel ad recedendum ab exercitio virtutum inducere valet, suomet intrinseco vitio.

Male sonans ..... sanum licet unum suscipiens sensum, pravum alterum involvit dominantem, ea tamen pravitate, quæ sit infra hæresim.

Piarum aurium offensiva ..... proprio *pietatis* eloquio et sensibus est opposita, per quidpiam scilicet indignum aut indecens, quod in religionem impingat. Binas hasce notas alii promiscue accipiunt; alii vero secus, quos inter etiam nonnulli definiendo scinduntur. — Interim advertito, utraque propositione vitiosiorem esse duplicem alteram, idest *blasphemam et impiam*: illam profecto, quatenus blasphemiæ veneno sese prodit infectam; istam vero, quatenus debitum Deo cultum depretiat, inquit eminentiss. De - Laurea, honoremque parentibus atque Majoribus, superioribus obsequium, gratitudinem benefactoribus aufert sive minuit suamet impia eo sensu doctrina.

— Cæterum quis optet, Juvenes, ut vos heic difficilium doctrinarum, Cani, Sylvestri, Gersonis, ipsiusque Bossueti et cardinalis de-Byssi, aliorumque Summorum aut abs me citatorum, Dedaleis velut labyrinthis ac prope inextricabilibus involvam?



LIBER QUARTUS

De Deo homine facto seu *de Mysterio Incarnationis Verbi Dei.*



PROOEMIUM.

Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne; inquit divinus Epistolographus gentium Doctor Apostolus. *Nam,* ut ait S. Leo Pontifex ep. 24, *salva proprietate utriusque naturæ et in unam coëunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas.* Quo M. Præsulis eloquio compendiosam totius Mysterii fidem tractationemque paucis exhibemus: est enim non aliud Incarnatio, nisi *Unio hypostatica seu personalis naturæ divinæ ac humanæ in una Verbi Divini Persona, ex qua unus est Christus, verus Deus et verus homo.* = Quanta porro in hoc Mysterio sublimitas! quanta dignitas et amplitudo! quanta in hac, prout ajunt, Œ*conomia* et *Dispensatione* convenientia! Convenientissima, inquam, Incarnatio Filii Dei Deo fuit, per quam in unione tam mirabili naturarum, quæ a se infinite distant, divina omnipotentia relucet;

ceu sapientia quoque in concilianda summa justitia et misericordia, quæ simul *osculatæ sunt*, magnificentissime splendet. Fuit et convenientissima homini *in individuo*; quia factum est per Incarnationem, ut talis ac unus singulatim homo Deus esset: atque homini etiam in sua specie sumpto; quia tota natura humana per conjunctionem Verbi divini cum uno ex ejus individuis conscendit ad cognationem et consanguinitatem cum Deo, præterquamquod innumera in totam naturam beneficia defluxerunt. Sicque fuit toti etiam Universo consentanea ac summe conveniens; eo maxime quia in aliqua sui parte, in illo Homine–Deo scilicet, ad fastigium divinitatis evolavit.

Tot itaque mysteriorum in uno Mysterio sublimitatem tardiuscula mens nostra veneretur, nec veritati indocilis et captiosa consideret; dignitatemque rerum ac amplitudinem, quo inde percipi virtutum et vitæ norma possit, alacri studio et pia meditatione complectatur. Atque interea Dei majestatem valde suspiciamus in hoc arcano refulgentem: ac divinam bonitatem, nostrique vitam mortemque Sospitatoris, hominisque redemptionem jugi actione gratiarum, confessione scelerum, imbre lacrymarum, præconio, plausu, spiritu et lingua celebremus. Eja igitur, Auditores, ad omnem comparati pietatem et doctrinam, quæ generatim in superiori definitione complexi sumus, singillatim in sequentibus enucleata capitibus excipite; ut Gentiles, Judæi, Hæretici brevi scholæ methodo confundantur, obmutescant.

SECTIO PRIMA

De illius Possibilitate Mysterii et Adventu Messiæ deque Necessitate et Causis Incarnationis.

CAPUT I

De Incarnationis Possibilitate et Adventu Reparatoris.

Gentiles, Incarnationem Verbi Dei absurdam reputantes et impossibilem, eam proinde inficiantur existere. Judæi autem, Mysterii hujus possibilitatem negare non audentes, existentiam tamen obfirmati negant, dum adhuc Messiam stulti præstolantur. Adversus utrumque genus adversariorum nos eodem prorsus argumento, perinde ac reliqui Tractatores, Scripturarum videlicet auctoritate pugnabimus. Nec criminetur quisquam nos, si ex divina Scriptura Ethnicos quoque adnitamur expugnare; veteris enim et novi Testamenti libros integros, veros divinitusque inspiratos et autenticos esse, adversus hostes quoscumque probatur, ac demonstrative concluditur. Cæteroqui evincunt etiam apprime contra Gentiles, factam

adest tamen *habitudinis* aut capacitatis unionis: quatenus natura humana est perfectibilis, Verbum vero infinite perfectivum; quamobrem substantialiter uniuntur: quin idcirco, etsi *unum per se* constituant in esse suppositi, illud unum constituant per compositionem formalem, quia non sunt partes proprie dictæ, quæ se mutuo perficiant. Est namque Verbum ratione naturæ ac personæ infinite completum, completa humanitas suæ ratione naturæ. Ex quo cave putes, Christum esse aggregatum per accidens, cujus generis est exercitus; hoc enim partibus et ratione naturæ et ratione suppositi integris perfectisque coagmentantur. At his in duobus doctrinæ paragraphis multum, ac forte nimium, Ludovicum habes Le-Grand, quem adisis inter reliquos: nos alia aliò differimus.

— Quæ cum ita sint, et opportuna ad possibilitatem Mysterii hujus sacratissimi vindicandam; hoc loco, quod polliciti sumus, oracula de Christo prophetica describere aggredimur, queis, Messiam advenisse, demonstratur. Itaque ad rem hanc aggredientes, inter innumera Jacobæum illud celeberrimum in præsenti seligimus. Jacob igitur morti proximus, filiis suis ea pandens, quæ ipsorum posteris eventura erant, hæc de filio Juda in spiritu præcinuit: *Non auferetur sceptrum de Juda, et Dux de femore ejus, donec veniat, qui Mittendus est, et ipse erit expectatio Gentium,* Geneseos 49. De quo splendido imprimis ac illustri vaticinio pretium est operis, ut sequens statuatur

PROP. I. Ex Prophetia Jacob, Messias a multis jam sæculis adventavit.

Demonstratur. Ac primùm indico germanum illius vaticinii sensum, quem Judæi veritati prætendentes offuciam, perversis fœdarunt interpretationibus; quas tamen ipsi, suis in targumim chaldaicis, celebres Targumistæ displodunt. *Non auferetur sceptrum de Juda*, inquiebat Jacob, *et Dux de femore ejus.* Hisce verbis ille supremam potestatem, expressam hebraica voce *scebèt, sceptro,* ac legislatorem et magistratum juxta nomen *mechokèk, ducem,* (et hunc *de femore Judæ* aut ejus stirpe), non ablatum iri spopondit *de Juda;* idest de Judæa sobole ac tribu, aut Natione, non absolute recessurum. Quousque vero non auferendum adnunciavit? *donec veniat,* inquit, *qui mittendus est;* quoad usque scilicet adventasset magnus ille Messias, qui *Mittendus* ac missus vocatur per excellentiam, utpote qui mittendus erat, missusque est ad opus omnium excellentissimum: et de quo solo dici jure poterat, *ipse erit expectatio Gentium,* seu, ut habet textus hebraicus, *ei erit obedientia populorum;* prout liber Geneseos, Isaiæ, Psalterii, et omnis Scriptura venturi Christi prænuntia apprime declarat. Unde

Instruo sic argumentum. Sceptrum, dominatio, principatus non auferendus e Juda prædicitur, quoad Messias advenerit: atqui tribui Judæ, Judaicæ genti ablata est jamdudum et possessio sceptri et regiminis forma omnis omnisve principatus et auctoritas, jus inquam gladii, jus om-

ne vitæ et necis ac omnis jurisdictio; siquidem ab excidio potissimum Hierosolymæ per Titum, qui se cœlestis in eam iræ ministrum appellat apud Josephum, nullo Judæi potiuntur imperio, sed patria penatibusque relictis profugi, extorres, ubique dispersi, coactique miserrimam servire servitutem sine regno vivunt et *sine lege et sine principe, sine sacrificio et sine altari, et sine ephod et sine teraphim*, quæ Oseas infaustissimæ Genti præcinuerat: ergo jampridem Messias adventavit, ac frustra et stulte hunc Judæi venturum liberatorem expectant.

— Porro hic Messias est Jesus Nazarenus, in quo certe adimpleta fuit Jacobi prophetia; quod concludit Adversarios, ac prorsus jugulat. Et revera

Ostenditur in Christo Jesu adimpleta. Etenim quo tempore Jesus Nazarenus mundo et hominibus illuxit, sceptrum dominationis, (quod penes tribum Juda a David Rege, in quo vim aut effectum cœpit luculentiorem habere prophetia Jacob, perpetuo mansit, vel singularibus ex ea personis regnum capessentibus, vel universa tribu cæterarum tribuum personas evehente ad ducatum), præreptum fuerat e Juda, atque homini alienigenæ, Idumæo Herodi, datum a Romanis, quibus a Pompejo subjugata tributum gens Judaica persolvebat. Fuit, inquam, Herodes genere Idumæus et alienigena: id enim, præter Gorionidem et Talmudicos, affirmat Flavius Josephus lib. 1 de Bello Judaico; et rex indicavit Antigonus,

qui de regno cum Herode contendit, eumque vocavit *hominem privatum et Idumæum, hoc est semi-Judæum,* prout refert idem Flavius in 14 Antiquitatum.

Ad hæc, vetusti tum christiani tum judæi Scriptores jure id prædicarunt fulgidissimum esse de Christo vaticinium. Nam revera hebraicum *Scilò* congruit aptissime Christo Nazareno, ubi velis illud interpretari, *qui mittendus, qui venturus est:* is namque antonomastice dici *mittendus* apprime poterat, qui ad salutem hominibus afferendam missus fuit a Deo, missionemque suam omni signorum genere comprobavit. Quod si, ut alii vertunt juxta Samaritanum textum, per *Scilò* malis intelligere *pacificum;* nonne hic est Christus imprimis, non terrenus sed divinus Salomon, qui *pax nostra* vocatur? At etiam *Scilò* reddant alii *Filium Judæ;* nonne Judæ nepos, cæteris omnibus illustrior, fuit Jesus e Nazareth? Reddant quoque nonnulli ad quartum hunc modum ex Aquilæ et Symmachi interpretatione, *donec veniat ille, cui reservatum est regnum;* mirifice id Christo congruit, qui regnum nullis temporum curriculis nullisque locorum spatiis, nec angustiis Chananeæ terræ contrahendum, sed æternum ac immensum, novum et spiritale per òrbem, suam quaquaversus Ecclesiam fundando, stabilivit: ergo, favente omnium quoque versionum et paraphraseon auctoritate, Messias a Jacobo prænuntiatus est Christus Jesus.

PROP. II. Ex aliis item prophetiis asseritur, adpromissum adventasse Messiam; qui quidem Jesus est Nazarenus, ut ipsius historia persuadet.

Demonstratur. Ac ne diutius morer, quam temporis adjunctorumque nostrorum ratio patiatur, illud obiter, quamvis insigne, quod extat Dan. 9, præmitto vaticinium, omissis hic contentionibus Harduini, Lamii, Gravesonii: *Septuaginta hebdomades* (annorum) *abbreviatæ sunt... ut deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna...... et post hebdomades sexaginta duas,* supra alias septem ab urbis ædificatione, *occidetur Christus... et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo.* Quæ probe Jesum spectare, in S. Scripturæ prælectionibus ex professo doceminor: sane dubium erit, inquit in celebratissimo opere *de Relig. Christ.* calvinianus Abbadie, an propheta in iis Daniel æque appellari possit *historicus,* ac Livius, Justinus et Polybius.

Exinde autem, præter Aggæi, Malachiæ aliorumque alia vaticinia, sequentia, quæ vitam Christi respiciunt, ad rem sunt et expedita, et sic a Justino Martyre Apolog. I c. 31 summatim adstricta: » In his Prophetarum libris prænuntiatum reperimus Christum nostrum advenientem atque ex Virgine nascentem, ad ætatem virilem pervenientem, morbos omnes et ægritudines curantem, et mortuos ad vitam revocantem, invisum, ignoratum et crucifixum, morientem et resurgentem ac in cœlos ascendentem; eumqne esse

et vocari Filium Dei, et nonnullos ab eo mitti ad omne hominum genus, qui hæc prædicent, magisque illi credere eos, qui sunt ex gentibus ».

Messias scilicet a Mose et aliis prædicitur enasciturus e semine Abraham, Isaac, Jacob, Jesse ac Davidis; at vere ex eis ortum duxit Jesus, sicut ejus texit *librum generationis* Evangelista Matthæus. Item Messiæ nativitatem ex Virgine Isaias annuntiavit, prædixitque futuram Michæas in Bethlehem; ast idem Matthæus cap. 1 et 3, et Lucas 1 et 2 hæc describunt in Jesu completa. Insuper Messias venundatum iri, prænuntiatur Zacch. 11, *et appenderunt mercedem meam triginta argenteos:* hic autem est Jesus Nazarenus ex cap. Matth. 26, *at illi,* Judæ proditori, *constituerunt triginta argenteos,* quibus is in suam et Christi perniciem facinus infame complevit. Denique, ne sim infinitus, felle et aceto potandus Psalmo portenditur 68; crucifigendus suarum perforatione manuum ac pedum, afficiendusque tot tantisque contumeliis Ps. 21; quemadmodum et resurrecturus a mortuis ac ascensurus in Cœlum Ps. 15 et 46, tum regnaturus in orbem, Gentesque conversurus ad Evangelium luculenter alibi prænuntiatur: at certe ea omnia in Jesu Christo Nazareno, salutis humanæ reparatore, esse convincimur adimpleta. Quo sane adeo, nisi nuntium veritati remiserint, et Gentiles et vel maxime Judæi revincuntur. Videas lubenter Huetium in *Demonstr. Evangelica.*

Revincitur quoque, quod addo libentissimus,

Judaica perfidia Josephi testimonio. Is Judæus homo, secta Pharisæus, officio Sacerdos et dux belli, a Vespasiano captus Romamque devectus 20 libros scripsit de Archæologia Judæorum; et in 18 cap. 4 famigeratissimum hoc, quo Judæi vexantur, de Christo testimonium edidit, scribens: *Fuit autem hoc tempore Jesus Vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere; erat enim mirabilium patrator, Magister hominum, qui lubenter vera suscipiunt; et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cumque eum per invidiam a primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum cœperant: nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cum divini Vates hæc aliaque quamplurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hunc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus.*

Annon hoc est contra Judæos insigne Religionis Christianæ monimentum? Scilicet est. Hinc istud a tam præclaro gentili suo prodiisse unquam, hactenus præfracte negarunt; Christiani vero, Eusebius maxime, Hieronymus, Rufinus, Isidorus Pelusiota, Sozomenus aliique plures, usque ad sæculum XV vulg. Æræ, constanter Josepho prædicaverunt; et posthac, contra quosdam Criticos, Scriptorum emunctæ naris cohors ipsi innumera vindicavit. Sed nos alio convertimur ac properamus: quanta enim spatia nobis brevi sunt tempore peragranda!

SOLVUNTUR OBJECTIONES Judæorum. Objiciunt 1° adversus Jacobi vaticinium. *Scebèt,* ait. R. Moses ben Nachman aliique, virgam significat tribulationis: sed hæc virga non ablata est adhuc a Judæis: ergo non adhuc Messias advenit. 2° Vox *donec* in eo continuationem sic notat: nunquam in æternum auferetur a Juda sceptrum, *postquam* Messias advenerit, qui illud ei restituet: at sceptrum non est Judæis usque modo restitutum: non ergo Messias usque modo venit. 3° Demum *Scilò* in hebræo exprimit *Silo* civitatem, significans—donec aut urbs Silo arcæ sedes destruatur, aut in Silo veniant Saul et Jeroboam, qui sacro oleo ibi asservato ibidem ungantur in Reges: ergo de Messia intelligi vox *Scilò* non potest.

℞. Ad 1um nego majorem; quia vox *scebèt* nunquam significat virgam castigationis et afflictionis, nisi cum lexin habet adjunctam, quæ significationem hanc indigitet, uti Ps. 2, *reges eos in virga ferrea,* et 10 cap. Isaiæ, *væ Assur, virga furoris mei, et baculus ipse est:* verum vox *scebèt* in vaticinio Jacob, ubi Judæ tribui præ aliis et dux et tot fausta promittuntur, tam longe abest, ut ad eam significationem adjectione voculæ determinetur, quin e contra sceptrum potestatis definite significet. Ad 2um n. etiam majorem. *Donec* non hic continuationem, quam R. Bechai confingit, sed temporis terminum naturaliter ostendit; is enim fuit, ex veterum quoque consensu Rabbinorum, scopus Jacobi, ut tempus

Messiæ figeret ac definiret. Postremum denique falsissime dicitur: etenim *Scilò* pro urbe hebraice diverso modo scribitur; nec sumitur unquam *Javoh, veniat,* pro *devastari* aut *everti*. Saul autem in Ramataim–sophim est consecratus, renuntiatusque rex in Masphath, et creatus est Jeroboamus in Sichem. Neque in iis sceptrum de Juda recessit: cum ante Saulem haud proprie fuerit, neque adeo splenduerit ante Davidem in tribu Judæ; nec fuerit a Jeroboam ablatum, sed dumtaxat imminutum in illo, qui aliunde, vir pessimus infandique schismatis auctor, quam belle fuit *expectatio gentium !*

Opponunt 2. Sceptrum a tribu Juda recessit in captivitate Babylonis, quò Rex Judæ *Sedecias* a Nabuchodonosore pertractus est; ac deinde post captivitatem, cum Machabæi, qui erant ex tribu Levi, tribui Judæ præfuerunt: attamen non eo tempore Messias adventavit: ergo vaticinatio Jacòb non præbet in amissione sceptri adventus Messiæ characterem.

℟. Nisi velim extricare difficultatem, expedite reponens inter Theologorum hic discidia, in vaticinio Jacob per *Judam* intelligi posse non solam tribum Judaicam sed Nationem, cui illa nomen dedit, universam, et a qua nunquam ad Messiam usque dominatio recesserit; nego aliunde majorem, et, concessa minore, consequentiam. Nam perdurante transmigratione Babylonica ad solium regni Rex Evilmerodac exaltavit Joachimum de tribu Juda; atque etiam, ea permanen-

te, jus vitæ et necis Seniores exercebant in Judæos per Chaldæam quoque dispersos, ex Daniele propheta: ac exinde de eadem tribu Zorobabel, Regio Davidis sanguine prognatus, legislativam subinde potestatem et Ducis nomen accepit. Soluta vero captivitate Assamonæi seu Machabæi præfuerunt tribui Judæ, sed eisdem auctoritatem communicabat tribus Juda; quæ Summos Sacerdotes de tribu Levi, deque sua *Sanhedrim*, seu judicum consessum magnumve Συνέδριον, eligebat; idest Senatum, qui ejus nomine et legibus rempublicam gereret, administraret. Vide caput ult. quarti lib. Reg. et nonum lib. 1 Machabæorum: quorum ductu, necnon cum Melchiore Cano l. 2 de *Locis* c. undecimo, breve responsum hoc, quin alia promamus, sine ambage posuimus.

Objic. 3. *Scilò* designare valet Moysen aut Davidem; aut etiam Nabuchodonosori, Pompejo, Herodi, Vespasiano convenire potest: cur ergo aptatur Jesu Nazareno? ℟. N. antecedens. *Nemo est*, ut generica hæc ab Irenæo verba mutuer Lib. 4–34, *nemo est neque Patrum, neque Prophetarum, neque antiquorum Regum, circa quem proprie ac specialiter factum sit aliquid horum.* An ante Moysen sceptrum fuit in tribu Juda? non puto; cœpit vero in Davide, non defecit: quibus *scilò* illud ex eo etiam aptari nequit, quod nec eis fuerit omnium obedientia populorum. Nabuchodonosor autem, qui et Dei flagellum potius, quam a Deo fauste promissus ac *mittendus* cognominari potuisset, et regni sui terminos ab In-

dia tantum usque Æthyopiam habuit; tum etiam Herodes, Pompejus aliique nec sunt *de femore Judæ,* nec fuerunt *expectatio* populorum, qualis vere Messias Jesus, et quidem solus extitit. Ita Vespasianus solius extitit adulatoris *Josephi* Messias! Ob hanc rationem Cyro etiam cohærere nequit, quanquam *Christus suus* à Deo nominetur, aut quia futurus ipse typus Christi liberatoris, aut quia *sacra* Regia potestate donandus: qui præterea, nedum ejus tempore sceptrum de Juda exciderit, Judæorum remp. e contrario restituit; scilicet Deo iis tum indulgente propitius, queis, Deo nunc ulciscente, jam modo in perpetuum ævum *et cœli et soli sui extorribus,* prout inquit Tertullianus, *nec advenarum jure terram patriam, saltem vestigio, salutare conceditur.*

Instant. Verum quo pacto Jesus a Nazareth erit Messias ille promissus, cum constet, non venisse statim ac Herodes habenas Regni capessivit? si tamen ipse fuit alienigena, in quo sceptrum Judæ desiverit. ℟. Sat est superque, ut prophetia compleatur, quod Jesus natus sit sub Herode, quo regnum capessente sceptrum desiit in Juda: immo oportet ex Jacob, ut nonnisi sublato sceptro in sua venisset Dei Filius, quem *sui non receperunt.* Herodes autem communi consensione Historicorum et Patrum atque Rabbinorum vir erat advena, alienigena; aut cum Flavio aliisque Idumæum velis, aut juxta alios Ascalonitam: quos tamen componit Epiphanius, utrum-

que dici posse affirmans, quod ex Antipatro Ascalonita natus fuerit in Idumæa, dum captivus suus ibi pater viveret.

At, inquiunt, Idumæi, ex quo eos subegit Summus Judæorum Pontifex *Hircanus* annis ante Christum 90, compulsi sunt ad omnes Religionis Judaicæ ritus, indeque pro Judæis habebantur: ergo Herodes fuit Judæus. Pulchre! fuit nomine, cultu et religione, concedimus; genere, ortu ac sanguine et quantum ad jura civilia, negamus. Male itaque Nicolaus Damascenus, ut sibi gratiam captaret Herodis, eum duxisse genus e proceribus Judæorum mendaciter ex assentatione scripsit; ut, sane omnis hic odii purus in Herodiades, Flavius refert Josephus lib. 4 Archæol. c. 2 nunc 1.

Objiciunt hæc iterum, quæ coacervatim 2^{am} quoque thesim attentant. Messiæ adventus ex Psal. 49 magnificus esse debet. Et quidem Messias *super solium David*, ex Is. 9, *sedebit.* Immo ex aliis Prophetis, ejus characteres sunt, exaltare Israelitas, liberare Judæos, debellare Moab, Gog et Magog. Sunt etiam Messiæ characteres, suo Gentes imperio subjugare, idola idolorumque religiones extinguere. Unde passim a choro Vatum *Rex potens, Dominator* et *Victor, Bellator* et *Princeps* appellatur. Atqui talis non extitit Jesus Nazarenus: hic ergo non est vere Messias, quem Vetus Scriptura promittit: ruit igitur 2^a Thesis, in qua tot frustra vaticinia coacervantur.

℟. Frustra potius a Judæis aggerata sunt tot

diffugia pervicacitatis; quæ ita brevi disploduntur. Magnificus et gloriosus esse debet adventus Messiæ secundus, quando vivos ac mortuos judicaturus sua in majestate veniet, concedo; adventus Messiæ primus, inficior, de primo enim isto hæc est Zachariæ prophetia: *Rex tuus veniet tibi justus et salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam;* quam juxta Matth. pullo comitatam, ut Christus Hierosolymam inveheretur, *adduxerunt Discipuli Jesu, et eum desuper sedere fecerunt.* Sedit vero Messias Christus Jesus super solium Davidis, nempe regnum obtinuit spiritale, quod est Ecclesia, cujus est Caput et Rex in æternum; quo sensu locutus fuit Isaias. Et sic Israelitas, non qui carnaliter posteri sunt Israelis, sed qui fidem Israel imitantur, debuit dumtaxat exaltare spiritaliter, eos in regno gratiæ constituendo; sicut et, non, juxta Judæorum nænias, a servitute Principum, sed æternæ mortis servitute ipsos liberare Judæos omnesque omnino gentes, quia omnes suo pretioso cruore redemit. Hoc item modo Gentes proprio subjecit imperio; vicit, domuit suæ hostes Ecclesiæ; ac idololatriam paulatim et per gradus evertit Evangelii prædicatione, fidei suasione, reformatione morum, ut Vates sacri prænuntiarant. Hinc patet, tot eos Messiæ titulos non crasso terrenoque sensu, sicuti carnales Judæi, gens cervicosa, solent, intelligendos esse, sed puro ac spiritali; ut omnis inter tot Prophetarum oracula collisio et pugna removeatur.

— *Multa igitur,* ut sic ex laudata Justini Mart.

apologia c. 53 apposite concludam, *multa igitur et alia habentes Prophetarum testimonia, quæ proferre possumus, finem facimus; cum satis ista esse ad persuasionem arbitremur his, qui aures ad audiendum et intelligendum idoneas habent.* Multa insuper alia adversus Gentiles et Incredulos instrui possent armamenta, quæ in alterius exuberarent perfecti molem operis, *de Veritate christ. Religionis,* inscribendi. Ubi vero nos indicaverimus, reponi illa primùm et in Prophetarum vaticiniis, et in Christi Apostolorumque miraculis, hunc esse Deum a Deoque missum comprobantibus; necnon, præter reliqua ab eorum discipulis primisque fidelibus cæterisque patrata, in ostento præsertim omnium maximo, Resurrectione Christi; itemque in constitutæ ab eo Religionis propagatione mirabili, quæ nimirum propagatio ac resurrectio divinam Jesu missionem prodat, incredulorumque pervicaciam aut frangat aut premat: hæc etiam, ajo, cum indicaverimus expendenda; hæreticos solum hostes habebimus in posterum impetendos, omnique armorum genere profligandos.

CAPUT II

De Necessitate et Causis Incarnationis.

Quoad Incarnationis necessitatem variæ inveniuntur opiniones. 1° Docuit olim Raymundus Lullus, librorum fama notus, sed hæresi jam no-

tatus saec. XIV, eodemque, Christum evangelizans lapidibus obrutus a Muhammedanis; docuitque nuperiori aetate Nicolaus Malebranchius, christianae Philosophiae cultor eximius scriptorque memoratissimus, Incarnationem fuisse necessariam ex hypothesi creationis mundi, velut absolutissimum mundi ipsius ornamentum. Longius progressus est Anglus Haeresiarcha Wicleffus docens, fuisse absolute necessariam, sic ut Deus ab ea definienda abstinere non potuerit: Wicleffo autem videntur accedere, temperamento tamen aliquo, Leibnitzius in *Theodiceae tentaminibus*, Clarkius, Bulfingerus aliique. Sed Theologi fere omnes, ab omnibus exploso commento Wicleffi, qui simul ad creationem Universi compulsum fuisse Deum, fatue comminiscebatur, sententiam Lulli et Malbranci dispungunt: cum doceat fides, liberrimum esse Deum in cunctis operibus *ad extra* vel externis, qualis est Incarnatio Verbi; et cum aliunde eam summae Dei misericordiae erga nos sacrae Literae adscribant.

2° Scotus homo Richardus, canonicus Sancti Victoris apud Parisios, cum quo dubie citari solet B. Anselmus, saec. XII tradidit juxta plerosque, esse necessariam non ex hypothesi creationis mundi, sed praevaricationis Adae: quia nec potuit Deus, inquit, a lapsu non erigere genus humanum, nec alio modo id facere, quam per Incarnationem Verbi. Hanc pariter opinionem, quae etiam Vasquesii videtur, communis cum D. Thoma ac Doctore Seraphico sententia displodit;

quia certe potuit Deus summe liber *ad extra*, uti rebellos Angelos, ita collapsos homines deserere in statu damnationis: hinc gratuito *propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, vivificavit nos in Christo,* inquit Paulus 2 ad Ephesios; *et si omnibus,* ait Augustinus, *debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste redderetur.* Quis ergo, Deus, *quis imputabit tibi, si perierint nationes, quas tu fecisti?* cap. Sapient. 12.

3° Opinionem aliqui imbiberunt, Deum potuisse quidem non liberare genus humanum, sed posito quod voluerit, Incarnationem fieri plane necessariam. Ast huic tertiæ contraria insedit opinio plerisque Scholasticorum cum Petro Lombardo, Thoma, Bonaventura, Scoto cæterisque. Poterat Deus enim ex absoluta potentia aliis sine numero modis liberare humanam naturam, vel, puta, gratis condonando peccatum nulla repetita satisfactione, non vi decreti præsentis, sed si aliud edidisset, quin Dei violaretur justitia, quæ in aliam nec *ordinata,* nec *ordinabilis* est, sed summa et nulli subjecta; vel exigendo leviorem et ratam habendo qualemcumque pro benignitate satisfactionem, cui obeundæ par esset purus homo, quia supremus Dominator liber est in exercitio suæ justitiæ quoad pœnæ modum, mensuram, tempus etc., quod nobis ipsi Adversarii concedunt. Unde Patres, qui plurimorum huic judicio videntur opponi, cum Patribus ejusdem judicii assertoribus amice conciliantur; si hos, dum

aliis favere videntur, intelligendos esse animadvertas de alio extraordinario decreto, quod edi a Deo potuisset: illos autem, dum refragantes apparent, de majori congruitate ac potentia Dei ordinaria et jam manifestatæ justitiæ legibus, aut de præsenti rerum statu et ordine, ac de proposito divinæ voluntatis; in quo Deus accuratam, *ut est de fide,* ait Boucat, suæ læsæ justitiæ reintegrationem satisfactionemque decrevit, ad strictosque juris apices exegit.

4° Itaque eo decreto spectato et in hac sola hypothesi condignæ et accuratæ satisfactionis necessaria fuit Incarnatio Filii Dei, ut quarta eademque vera cunctorum, pro hac saltem ordinaria rerum dispositione, fert sententia Theologorum; quam mox primo versabimus. — Nam exinde post primam de *Necessitate* Propositionem sparta ornanda erit alia de *Causis* Incarnationis. Porro de finali causa illius, necnon de meritoria quæstio instituetur. De effectrice etenim nemo controversatur: nam *fide* certum exploratissimumque est, ex eo quod unio hypostatica, sumpta pro unitione, aut proprius actio productiva et sic unitiva humanitatis superet omnis causæ creatæ efficientiam, sitque ipsamet opus *ad extra*, solam totamque Trinitatem causam esse Incarnationis efficientem; cum divinus in ea Filius sit solus ipse principium, respectu propriæ dictæ unionis, humanam complens terminansque naturam.

PROP. I. Quum nullus purus homo vel Angelus, quantacumque gratiarum suppellectili adornatus, pro

suo vel alieno peccato, etiam veniali, condigne satis Deo facere potuerit, Incarnatio Verbi, posito decreto satisfactionis accuratæ, simpliciter necessaria fuit, ut hæc divinæ læsæ majestati exhiberetur.

Prob. e S. Litt. antecedens simul et sequela Propositionis. Ps. 48 canit Psalmista: *frater non redimit, redimet homo;* idest redimet homo, non *homo nudus, non propheta seu legislator, sed homo Deus,* ut cum Basilio sanctoque Paulino alii Doctores interpretantur. Apostolus vero rationem reddens cap. ad Rom. II, sic ait: *quis prior dedit illi, et retribuetur ei? quoniam ex ipso*, primo rerum auctore, et *per ipsum,* primum cujusque rei directorem omniumque mediatorem, *et in ipso,* omnis perfectionis abysso, *sunt omnia*, quæ homo habet, naturæ et gratiæ dona. Ergo nonnisi ex bonis creditoris, Dei scilicet, homo potest solvere debitum pro peccato suo vel alieno, nusquam vero satisfacere de condigno et rigorose poterit: est enim satisfactio rigorosa « illa solutio voluntaria ex propriis et aliunde non debitis, quæ non solum restituit ablatum, verum etiam, reddito honore æquivalente, injuriam irrogatam perfecte restaurat. » Itaque solus id potest Deus homo: ad hoc igitur Incarnatio necessaria fuit. Hinc ad rem, post Alighierii sensa pöetice simul et theologice expressa *Parad.* c. VII, a vers. maxime 88 ad 120, nova Italiæ gloria Manzonius in od. de Nativ. Domini:

« Qual mai fra i nati all'odio,
« Qual era mai persona,

» Che al Santo inaccessibile
« Potesse dir : Perdona ?

Prob. 2° expressius ex consensione Patrum : atque ex iis tres quatuorve, velut ore omnium loquentes, sufficiat adduxisse. S. Cyrillus Alex. lib. de Fide ad Reginas ita scribit : *pretium pro universorum peccatis nequaquam sat magnum fuisset, si Christus purus homo tantum extitisset.* Idem habet Augustinus cap. 8 Enchiridii. Græcus etiam Irenæus Lib. 3–18 ita fatur : *si homo non vicisset inimicum hominis, non juste victus esset inimicus ; rursus autem nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam.* Latinus item *Chrysostomus,* idest S. Leo Magnus, id magniloquus ait : *nisi esset verus Deus, non afferret remedium, nisi esset verus homo, non præberet exemplum.* Unde graviter Fulgentius ad Trasimundum Lib. 2 sic de puro homine loquens instat : *quomodo beneficentiæ largitor universalis existeret, quem alienæ opis indiguum natura monstraret? ergo cum nullus etc.*

Prob. 3° ratione. Ad perfectam condignamve satisfactionem tres potissimum conditiones exiguntur ; quod sit ex propriis, quod fiat ex aliunde indebitis, quod sit æquivalens: has autem sola Dei hominis habet, ut in posterum disseremus ; non habet vero puræ creaturæ satisfactio. Nam non hæc esse potest *ex propriis,* quia nequit, juxta 1^{am} probationem Prop. ex Apostolo, nuda creatura satis Deo facere nisi ex bonis, quæ sunt sub dominio Dei ; neque *ex alias indebitis* id præ-

stare valet, quia quum omnia sint Dei, et naturalia ac supernaturalia a Deo proficiscantur, omnia Deo debentur. Nec tandem potest, puræ satisfactio creaturæ æqualis esse Deo factæ offensæ aut æquivalens injuriæ gravitati: quippe cum valor satisfactionis præcipue petatur ex dignitate satisfacientis, et e contra ex personæ læsæ dignitate gravitas offensæ, finita est satisfactio personæ finitæ, qualis est pura creatura, et est infinita ex adverso gravitas offensionis; nam peccatum, ait Angelicus, *quamdam infinitatem habet*, non entitative aut in genere entis, sed extrinsecus in genere moris, *ex infinitate divinæ majestatis.* Quod si contendas, malitiam peccati, ut cum Frassenio Scotistæ volunt, adeoque illatam Deo injuriam non esse ne in genere quidem moris formaliter infinitam; haud propterea elevabitur argumentum: quia pretium satisfactionis meræ creaturæ, quibuslibet gratiis opimæ, ordinis est inferioris ad gravitatem injuriæ, quæ in supremo, ratione læsæ dignitatis, ordine constituitur; quapropter et ex hoc capite satisfactionis æquivalentia tollitur. Ergo etc.

PROP. II. Incarnationis causa finalis fuit liberatio hominis a peccato originali et actuali, totiusve generis humani redemptio: quoad causam vero meritoriam, nullum potuit in veteribus Patriarchis, aut etiam Virgine intemerata inesse meritum, quod Incarnationem *substantialiter* acceptam *de condigno* promeruerit.

Prob. 1ª pars, quæ in S. Litt. de fide contra Abælardum aliosque suadetur. Lucæ 19 prostat, *venit Filius hominis quærere et salvum facere, quod perierat.* Jo. c. 3, *misit Deus Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum.* Et 1 ad Timotheum, *Christus apparuit, ut peccata nostra tolleret.* Et 2 ad Titum, *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate:* ergo hæc redemptio aut liberatio a peccatis, a labe præsertim originali, motivum fuit Incarnationis. — Immo addam, post Doctorem Angelicum, cum plerisque Theologorum contra Scotistas, vi decreti præsentis unicum fuit, sive ita præcipuum, ut, si homo primus non peccasset, carnem Dei Filius non induisset. Scriptura enim et Traditio, quibus res isthæc omnisque alia a libero Dei arbitrio dependens est transigenda, illud unicum commemorant, attestantur; namque Christus Luc. 5, *non egent,* ait, *qui sani sunt, medico, sed qui male habent: non veni vocare justos, sed peccatores.* S. Augustinus autem, cum eoque Chrysostomus ac reliqua PP. Latinorum Græcorumque multitudo, Serm. 8 de Verbis Dom. sic apertissime loquitur: *si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* *

* SS. Patrum dictis vim Scotus cum suis infert, vim, opinor, Suarez, Naclantus, Salazar; dum contendunt, hæc intelligenda esse, quod Christus citra peccatum hominis, non quidem in carne *passibili*, sed in *impassibili* adventasset. Hanc enim ille interpretationem acri ingenio procudit suo, quam minime eorum patiuntur oracula Patrum; quæ

Prob. 2 pars: ac primo suppono, Christi humanitatem non potuisse mereri nec *de condigno*, idest ex stricto jure, nec *de congruo*, hoc est ex quadam decentia, hypostaticam cum Verbo divino unionem: eo quod illa ante hanc ipsam unionem nondum erat in rerum natura, siquidem in primo instanti suæ conceptionis, ut fides docet contra Nestorium, divino Verbo illico unita fuit. Quod vero nec prisci Patres, nec SS. Virgo Incarnationem ratione substantiæ, nec ratione immo circumstantiarum, *de condigno* promeruerint, ex manifesta ratione patet: quoniam, præterquamquod Incarnatio totius est gratiæ et meriti principium, inter merita cujuslibet creaturæ ac maximum Incarnationis Dominicæ beneficium nulla proportio valet excogitari; nulla etiam promissio aut pactum extitit divinum respectu circumstantiarum: unde passim in Scripturis divinæ erga nos caritati tribuitur. Hæc sunt quibusque certa Theologis. — Adjicio, eos tamen inter se vitilitigare, si de merito *de congruo* loquantur: etenim Suarez, Gonetus, L'Herminierius aliique, beatissimam Virginem Sanctosque veteres et quoad substantiam et quoad circumstantias Incarnationem de congruo promeruisse, asseverant, scilicet ut Verbum nostram naturam indueret, eamque et citius

---

Christum venturum fuisse, ea sublata causa, simpliciter et absolute negant: *si homo*, ait S. Leo M. Serm. 3 Pentecostes, *in suo honore naturæ mansisset... Creator mundi creatura non fieret.*

et ex stirpe Davidis assumeret; sed D. Bonaventura, Scotus, Ægidius cæterique complures, Incarnationem quoad solas circumstantias de congruo meruisse, propugnant, Abrahamum e. c. Messiæ ex suomet semine ortum, et Danielem istius nostræ *SALUTIS* tam fausti abbreviationem adventus. *

OBJECTIONES postremo diluuntur. Ac in primam Thesin ita 1° arguunt Adversarii: simplex homo per actum perfectæ caritatis rationem finis ultimi Deo reddit, idest tantumdem restituit granditate dilectionis, quantum abstulit gravitate delicti: ergo condigne læso Numini satisfacere potest.

---

* Hoc mihi arridet, et collibet amplecti: quum sumpta Incarnatio juxta *substantiam* cuilibet merito præsupponatur; secus autem illas, quas dixi, circumstantias, supposita gratia ex prævisis Christi meritis, promeritas fuisse, constat ex Scripturis, et certe *congruum erat*, ait S. Thomas, *ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant.* Qua ratione, ait idem Doctor, meruit B. V. ad tantam sanctitatis excellentiam elevari per gratiam, *ut congrue* fieret Dei Mater; cui ideo sic Italus Venantius Fortunatus, sæculi VI pius præsignisque vates, simul cum Ecclesia gratulatur:

« *Virginitas felix, quæ partu est digna Tonantis,*
Quæ meruit Dominum progenerare suum! »

Quare et nos eamdem Dei Parentem sic, tanto de munere gratulantes, adloquamur:

« Te quando sorge e quando cade il die,
« E quando il sole a mezzo corso il parte,
« Saluta il bronzo, che le turbe pie
« Invita ad onorarte.

℟. N. consequentiam: tum quia diligendo Deum facit homo, quod aliunde debet, quodque facere tenetur, etiamsi non peccasset; ac insuper, quod ita præstat, non *ex propriis* id facit, sed ex gratia tantum, quæ gratuita est, et in suum auctorem Deum referri debet: tum quia caritatis actus, per quem purus se homo litat et consecrat, licet Deo rem restituat ablatam, injuriam non compensat irrogatam; quæ perinde, uti ipsamet infinita est summive saltem ordinis, satisfactionem et satisfacientem dignitatis infinitæ ordinisque supremi requirit, ut condigne reparetur. Ita si quis furetur alicui crumenam, non satis erit, si eam restituat, et sarciat damnum; sed facta offendentis offensique comparatione, capitalis numellæ probro seu compede, loris aut triremi debitum contumeliæ persolvet. Contumeliam vero Creatori suo a creatura irrogatam quodnam propriæ, quæ tam alte assurgat, satisfactionis opus expiabit? Reddet ergo caritate aut contritione perfecta tantumdem, quantum lethali delicto sustulit, tantusque est valor illius, quantus istius est demeritum, attenta rei magnitudine et injuria reali, atque in ratione actus meritorii, concedimus; spectata Dei maximitate et injuria personali, seu in ratione operis satisfactorii, negamus.

Objiciunt 2. Contritione perfecta remissionem peccatorum et æternam vitam velut coronam justitiæ promeremur: ergo et de peccato satisfacere possumus. ℟. Dist. antecedens: contritione promeremur remissionem peccati, *de congruo,* con-

cedo; de condigno, n. antecedens. Justificatio enim gratia est, fluens ex virtute satisfactionum Christi, non autem corona vel merces. Vitam vero sempiternam meretur justus, merito etiam de condigno; sed meritum non ab opere in se spectato talem induit condignitatem, sed a gratia habituali ipsius justi, in quo Christi gratia evadit *fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam.* Deinde nego paritatem: requiritur enim ad merendum sola proportio rei ad rem actusve meritorii ad præmium, Dei promissio et acceptatio liberalis; non vero personarum proportio et æqualitas, quæ tamen ad condigne satisfaciendum requiritur omnino. Cæterum, (verba sunt Conc. Trid. Sess. 14 c. 8), *neque ita nostra est satisfactio, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum... Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus.*

Objicies 3. Si ab amplitudine personæ desumeretur peccati turpitudo, nullum foret inter peccata discrimen, et pro sola culpa veniali, Incarnatione sublata, quis perire posset æternum: sed consequens abhorret a vero: ergo et antecedens. ℟. N. seq. majoris. Nam ex diversitate materiæ, ex majori minorive perversitate et deliberatione voluntatis, e disparibus adjunctis peccatorum peccata ipsa distinguuntur, disparia reputantur ; licet parem ex tendentia in objectum infinitum objectivam induant infinitatem. Neque Deus exigit, ut pro culpa veniali condignam satisfactionem ju-

stus homo exhibeat, sed ex æquitate et misericordia acceptat imperfectam: cujus benignæ signum voluntatis inde efflorescit, quod venialiter peccantem, ideoque ex Angelico *reparabiliter deordinatum*, a se Deus non abjiciat, et amicitiam cum sic peccante non abrumpat. Hinc justus venialiter lapsus, quia non simul aversus ab ultimo fine, potest in quocumque statu mereri gratiam, cui ex condigno annexa est æterna vita.

Horum similia objectamenta, si ad exposita principia exigantur, debilia fiunt, ac prorsus atteruntur.

Dices quoad 1^{am} partem secundæ Conclusionis. Christus venit 1° ut Magister ex Matt. 23, *magister vester unus est Christus;* 2° ut Pastor ex 10 Jo., *ego sum Pastor bonus;* 3° ut Legislator ex Evangeliis et Litteris Apostolorum: ergo non venit ut Liberator et Redemptor; vel hæc unice redemptio non fuit proxima, ab allatis sejuncta, finalis causa Incarnationis. ℟. N. consequentiam. Hæ omnes causæ finales sunt totidem appendices et consectaria intentæ redemptionis, ad quam velut ad principem finem suapte referuntur, ut ipsa ad finem ejus Sacramenti ultimum, Dei nempe gloriam, terminative refertur. Venit quidem noster Jesus tamquam Magister ac lux hominum, sed habitantibus *in tenebris et umbra mortis;* venit tanquam Pastor, sed ut *animam suam poneret pro ovibus suis;* venit ut caput religionis ac Legislator, sed qui legem pravis ho-

minum moribus obscuratam clarius indiceret, firmius instauraret.

Interea, hanc claudens non tanti momenti diatribam, hancce primam hic determinabo Sectionem; in qua quæstiones hoc de Mysterio præambulas brevi gyro disputavimus. Nunc in duabus, quæ mox sequuntur, ejus quidditatem aut essentiam, existentiam hinc evincendo adversus pugnaces simul Hæreticos, perquisite videamus.



SECTIO SECUNDA

De unica Persona duplicique Natura Christi;

ac de nat. Unionis hyp. ejusque proprietatibus.

CAPUT I

De unica Persona et duplici Nat. Christi.

Duo hic occurrunt errores, prout turpiter veritati, ita extreme sibi mutuo adversantes, Nestorii scilicet et Eutychetis; inter quos velut inter latrones veritas orthodoxa consistit.

Nestorius oriundo Syrus, ex monacho factus Sacerdos, sanctitatis et eloquentiæ nomen aucupatus conscendit anno 428 patriarchatus sedem Constantinopolitani; in qua statim post suam inaugurationem Arianos, Macedonianos, Tessaradecatitas luna quarto-decima Martii Hebræorum more Pascha celebrantes, consultum sese bonumque pastorem fingens, exagitavit. Cum tamen lupus tristis esset ovili, brevi inter oves lethifera præconceptæ hæreseos venena fudit: ac Christum ejusque Matrem blasphemiis appetens, immaniter errando docuit, duas esse personas in Christo, di-

vinam et humanam, accidentaliter unitas; ita ut Verbum non sibi devinxerit humanitatem substantiali et hypostatica unione, sed assumpserit hominem tum natura tum persona perfectum, in quo, velut in templo, per gratiam habitaverit, et cum quo quadam dumtaxat operationum et affectuum societate conjungeretur. Unde et dogmatizavit, ponens simul, Christum hominem antea in utero Mariæ Virg. formatum, ad unionemque cum Verbo postea assumptum fuisse, Christum non esse verum Deum, et B. V. non esse θεοτόκον, idest Deiparam, ac solum ei *Christiparæ* nomen asserebat. Cœlestinus eum Papa ad resipiscentiam solicitavit, sed nequidquam: nam pari sævitia et audacia pus odiumque vomuit, et duodecim S. Cyrilli patriarchæ Alex., cui suas Cœlestinus in Nestorium vices demandarat, *anathematismis* seu capitulis alios duodecim anathematismos opposuit. Quamobrem coacto Ephesino OEcum. an. 431, cui audax ille non comparuit, proscriptus ejus error est: ipse autem privatus ecclesiasticis infulis, dein in exilium pulsus et exinde vagabundus per Thebaidem, Oasi demum in Lybia, vermibus, si Evagrio fides, erosa blasphemante lingua, terræ allisus e vita decessit.

En Eutyches presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ et celeberrimi monasterii archimandrita seu abbas, qui in Ephesino contra Nestorium optime dimicarat, prætextu declinandæ Nestorianæ hæreseos in oppositam circa an. 448 magno lapsu ruit: docuitque, ita unam esse in Christo perso

nam, ut duæ naturæ, divina et humana, etsi antea distinctæ in eo fuerint, post unionem hypostaticam coiverint in unam; sive id per conversionem alterutrius in aliam, sive per formationem unius tertiæ naturæ, utriusque commixtione peractam, factum fuisse, multa cum ambage tradiderit. Subito Eutychetem sub S. Flaviano patriarcha synodus Constantinopolitana proscripsit, exauctoravit; atque ipse Leo M., a quo vocatur *delirus* et *imperitus senex*, cujus *passionem* etiam et *ignorantiam* Pluquet, doctus abbas incusat, acceptis Actis Synodi damnavit. — Attamen senex ipse a Theodosio tunc rerum potiente obtinuit, ut alia synodus eodem an. celebraretur Ephesi: in eaque Dioscorus patriarcha Alexandrinus, eutychianæ hæreseos labe conspersus, posthabitis Legatis Papæ, imperatoris auctoritate præsedit; iisque repugnantibus absoluto Eutychete, Theodoretus, Ibas et patriarcha Flavianus, qui jussu Dioscori vulneribus affectus triduo post martyr expiravit, damnati fuere, alii autem Episcopi militum metu subscripserunt: unde ista synodus non concilium, sed *latrocinium Ephesinum* merito consuevit appellari. — Ast an. 451 sub Marciano illo I, quem nullus superavit imperator regiis religiosisque virtutibus, in Concilio œcum. IV, quod Nicææ primitus, Chalcedone deinceps Leo idem M. adunavit, damnatus est Eutyches iterumque Nestorius; ac Theodoretus et Ibas utrumque anathematizantes absoluti sunt: Dioscorus vero apud

Gangram exulare coactus, ibi ærumnis confectus obivit.

Age, Nestorianismum primo revincamus, quem primo genuerunt Ebionitæ ac Samosatenses, asserentes, Christum esse purum hominem; quibus succinuit, cum hac tamen clausula, quod admitteret duas in Christo personas, Syrus ille, post Theodorum Mopsuestiæ, hæresiarcha Nestorius. Tum dein scitum adoriamur Eutychetis, quod gregales ejus *Jacobitæ*, dicti aliter Monophysitæ a μονος *unus* et φυσις *natura*, in Ægypto et Oriente sectantur; atque omnium impiisime Timotheus Elurus, Alexandriæ episcopus, ac deinde Michael Servetus, Genevæ combustus, exposuerunt. Eapropter sit

PROP. I. Unio Verbi Incarnati facta est in unitate personæ, unde una est in Christo persona, unus est Christus, et B. V. vere Dei Mater est. *Dogma tueor in Christiana Religione fundamentale.*

Prob. 1 ex Scriptura N. Testamenti. Joannes Evangelii c. 1 v. 14 inquit, *Verbum caro factum est:* atqui Verbum *fieri carnem* seu hominem non est inhabitare in homine velut in templo, diceretur enim tunc, ait Cyrillus, hominis *incola*, non *homo* factum, neque magis est eam fieri per conjunctionem moralem, qualis est inter amicos aut Deum inter et justos; quantumvis enim arcta sit amicorum inter se, et Dei justorumque necessitudo, nunquam unus amicus fieri dicitur alter, nec dici usquam potuit Deus in

justis incarnari: ergo, cum Verbum fieri carnem multominus significet, eam fieri *conversione divinitatis in carnem,* aut, quod item repugnat, commixtione cum ea; reliquum est, fieri *assumptione humanitatis in Deum,* idest conjunctione substantiali in personæ unitate. Ergo una est in Christo persona, unus est Christus homo– Deus, ideoque Dei est genitrix Jesu benedicta mater. Accedit, quod de Christo ad Philipp. ait Apostolus, quidquid de petito inde argumento sentiant Harduinus et Berruyerius a P. Gervasio refutati: *cum in forma Dei esset... humiliavit semetipsum formam servi accipiens:* si unus igitur idemque Christus dicitur *in forma Dei* et *in forma servi,* seu Deus et homo, Christus est una persona divina, quæ naturam humanam sibi substantialiter et hypostatice devinxit. Tandem Luc. 1 Angelus id Mariæ promittit, *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei,* et ad Gal. 4 c. id extat, *misit Deus Filium suum factum ex muliere;* unde sic argumentor: idem ipse Christus, qui *natus et factus* dicitur ex Maria, estque Filius hominis, vocatur et est *Filius Dei:* Christus igitur unus est in persona, estque vere Deus; Maria autem *Deipara* seu Dei Mater proprie ac vere nominatur.

Prob. 2 auctoritate Patrum. Cyrillus Alexandrinus, a quo Sanctus nemo inter Græcos Doctores abludit, ita loquitur anathemate 3 contra Nestorium: *si quis in uno Christo post unionem dividit hypostases... et non ea conjunctione nectit,*

quæ est secundum naturalem unionem, anathema sit. Sic Chrysostomus in Ep. ad Cæsarium: *etsi in Christo duplex natura, verumtamen indivisibilis unio in una filiationis persona et subsistentia reperitur.* Et Athanasius Or. 4 c. Arianos ait: *Christus est Deus-homo, unus et idem, qui ante sæcula ex Patre, et in ultimis diebus ex Virgine exortus est.* Sanctus vero Dionysius Alex. in Ep. ad Paul. Samosatenum: *quomodo ais tu, hominem esse eximium Christum, et non revera Deum... incarnatum ex S. V. et Deipara Maria?* Vir autem apostolicus ac præsul Antiochenus Ignatius Alexandrino præsuli ita præluserat Ep. ad Ephesios 18 capite: *Deus noster J. C. in utero gestatus est a Maria juxta dispensationem Dei, ex semine Davidis, Spiritu autem Sancto.* Latini PP. suffragantur; adeo ut cum Græcis substantialem credant in Christo naturæ utriusque unionem, in ipsomet unam personam, unumque filium diserte fateantur, atque sanctissimam Christi Matrem, veluti post Theophilum Cyrillus attestatur, a tota retro antiquitate Deiparæ laude cumulaverint. Jure ergo meritoque Nestorium sparsa Ecclesia per orbem et in Conciliis adunata proscripsit, exterminavit; quin illum ab errore ad veritatis sedem revocare, id frustra conati, valeant David de Rodone et calvinista Albertinus.

Prob. 3° rationibus, quæ sponte erumpunt ex divinæ Scripturæ et SS. Patrum testimoniis. Ac 1° proprietates illius geminæ in Christo naturæ per idiomatum communicationem, quam Nesto-

rius abnegabat, de se mutuo prædicantur, ac quemadmodum Deus dicitur *passus, mortalis* ac *mortuus*, ita Christus homo proprie *verus Deus, Creator, æternus* appellatur: atqui istud fieri non posset, falsæque redderentur omnes similes Scripturarum de Christo locutiones, nisi Verbum conjunctione hypostatica naturam hominis in unitatem assumpserit suæ divinæ personæ: ergo unio Verbi Incarnati facta est etc.. 2° admissa positione Nestorii tota corruit christiana Religio, tum quia in idolatriæ culpam, quasi *Hominicolæ* ἀνθρωπολάτραι, inquit Cyrillus, essent vocandi, quotquot Christum tanquam Deum adoraverunt adorantque modo, utpote quem vere esse Deum Nestorius inficiatur; tum quia subverteretur Jesu Christi satisfactio, quam ut Theanthropos ipse præstitit, funditusque simul generis humani redemptio. Vix enim cum Nestorio posueris duas in Christo personas, jam vides, nec a divina Verbi pro nobis satisfieri et redimi nos posse, cum in suapte natura satisfacere, pati et mori nequeat; nec posse id fieri ab humana, cum hæc finita sit, et infiniti valoris pretium offerre non valeat: porro hæc consectaria fides et ratio abhorrent: ergo una est in Christo persona, unus est Christus, qui ut verus homo, ita verus Deus est. Ergo B. V. est Dei Mater, quæ scilicet genuit humanam Christi naturam divina personalitate subsistentem: qualis ideo humana natura non extitit aliqua duratione temporis ante suimet unionem cum Verbo Dei, ut Nestorius et Eutyches somniabant. Sed

hunc modo refellamus in loquendo de Christi naturis ac mysteriis imperitum, juxta et in torquendo adversus dogma catholicum jacula senem ita imbecillum, ut de eo apte dici possit quod de sene contra Pyrrum Priamo Virgilius, Æneid. II:

Sic fatus senior; telumque imbelle sine ictu
Conjecit, rauco quod protinus ære repulsum,
Et summo clypei nequidquam umbone pependit.

PROP. II. Unio Verbi Incarnati non est facta in naturæ unitate, ideoque duæ sunt in Christo post unionem distinctæ atque impermixtæ naturæ, divina et humana, licet non separatim subsistentes, sed in divina una hypostasi copulatæ. *Est de fide contra Eutychem.*

Prob. 1° e S. Scriptura: et quidem iis omnibus testimoniis, in quibus Christus, licet unus et indivisus, dicitur tamen et verus Deus et verus homo, ut præter alia alibi producta Mat. 16, *tu es Christus Filius Dei vivi;* et Jo. 8, *quæritis me interficere hominem, qui vera locutus sum vobis,* quo in loco aliisque sexcentis Christus vocatur *homo*, diciturque quæsitus ad necem, filius hominis, factus ex muliere, cruci suffixus etc.. Unde sicut in Christo Jesu divinam naturam sanus quisquam tuetur, ex quo sit verus Deus; ita ex quo sit et verus homo, in Christo inesse humanam naturam, tueri debet. Sub hæc, abunde mihi esset, animadvertere, uti suum descripsit Joannes Evangelium ad divinitatem Christi constabiliendam, ita magna dein ex parte Epistolas edidisse suas ad humanitatem Chri-

sti demonstrandam. Confirmatur tamen id dogma hausto iisdem e Scripturis argumento: Christus se dicit Patri coæqualem, *Ego et Pater unum sumus,* c. 10 Jo.; tum Patre minorem, ajens Jo. 14, *Pater major me est:* atqui non potest esse Cristus æqualis Patri nisi ob naturam divinam, et Patre minor nisi propter humanam, quæ integra manens a divina, distinguatur: ergo duæ sunt in Christo post unionem distinctæ atque impermixtæ naturæ; neque divinitas humanitatem absorpsit, aut in eam conversa fuit, neque ex utriusque mixtione tertia quædam natura coaluit.

Prob. 2° ex Conc. Chalcedonensi; ubi Cyrilli Alexandrini, Nazianzeni, Chrysostomi, Hilarii, Ambrosii et Augustini testimonia recitata ac probata fuerunt, ex quo certi etiam sumus de constanti traditione SS. Patrum, qui hanc dicti Concilii definitionem jam ipsi præformaverant: « Confitemur, ait actione 5, Christum D. N. eumdem perfectum in deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum... consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem: ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus propter nos et propter nostram salutem ex M. V. Dei genitrice secundum humanitatem: unum eumdemque... in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitatem, magisque salva proprietate utriusque natu-

nitate *habitet omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, inquit Apostolus, seu realiter et physice; quod nimirum Deus unum quid factus sit cum homine, dum sibi copulavit humanitatem: in qua sub *habitu* (græce σχήματι) idest sub figura externa hominis latebat divina Verbi majestas; quamobrem Christus singulariter erat Deus–homo, ut Chrysostomus et Teophilatus ajunt.

Obj. 2. SS. Patres Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus lib. 11 de Civ. Dei aliique scribunt, Filium Dei *hominem* assumpsisse. 2° Basilius Christum vocat *hominem Deiferum;* Athanasius autem idemque Augustinus *Deificatum* et *Dominicum.* Vocat demum Damascenus humanitatem lib. 3 de Fide *divinitatis instrumentum:* ergo etc.. ℟. ad 1um sic distinguendo: ajunt, assumpsisse *hominem,* et sumunt improprie, nondum exorta hæresi Nestorii, concretum pro abstracto, idest hominem pro perfecta corpore et animo humanitate, concedo; et significant personam hominis, nego. Namque illi Patres ab errore Nestorii, quantum distat veritas a falso, sensu ipsi et mente distabant: quare idem Augustinus, qui objicitur, Tract. 49 in Jo. luculentissime scripsit, *anima et caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est.* Ad 2um, Basilius Christum vocavit non *hominem Deiferum,* sed Σαρκα θεόφορον, *Carnem Deiferam,* quod revera humanitas Deum ferret sibi hypostatice unitum. Athanasius vero et Augustinus Christum dixerunt *Hominem Deificum,* et *Dominicum,* eo quod ob unionem hypostati-

cam non sit merus homo, sed homo Deus. Etsi tandem cum aliis appellet Damascenus humanitatem *Divinitatis instrumentum ;* non separatum intelligit, qualis est dolobra vel serra in fabro materiario, sed intime unitum, quale est corpus respectu animæ, ut explicat S. Thomas lib. 4 c. Gentes. Itaque cum voces hujusmodi possint indifferenter unitionem physicam vel moralem significare; earum intellectum adjuncta ac scopus et constans explorataque mens Veterum suppeditat et figit.

Instant. Chrysostomus Hom. 3 in cap. 1 Epistolæ ad Hebr. exponens hæc Psalmi verba, *propterea unxit te, Deus, Deus tuus,* sic argumentum inde petit: *hic et Judæos, et Sabellium aliosque ferit... Judæos quidem, ostendens duas personas, et Deum et hominem... cæteros autem, quod sint duæ personæ divisæ per hypostasim:* ergo in Christo etc.. ℟. N. consequentiam. Etenim Chrysostomus hoc textu famoso, quem depravatum putant, leguntque diversimode Dounæus Anglus, Xistus Senensis aliique, primum duo hæc adstruit contra Judæos: et distinctionem personæ divini Patris, qui unxit, a persona divini Filii, qui a Patre unctus est; et veram ipsius Filii hominis facti deitatem, quasi dixerit, *ostendens tum duas personas, tum Deum et hominem.* Secundo autem Sabellianos perstringit ejusdemque commatis Hæreticos, qui distinctionem personarum in Trinitate denegabant. Quare nunquam ipse Nestorius, nunquam Nestorii fautores illud obtruserunt Chrysostomi testimonium: et cætero sane

duas ipse nusquam adseverat in uno Christo personas; quinimmo, prout supra, unam disertissime pronunciat.

Jam nonnulla, quæ a Nestorianis in eorum distortæ rationis officina cuduntur arma, retudimus nos sub primæ Sect. initio, ubi incarnationem non repugnare tuebamur. Nec moramur assertum retundendo, quo quis diceret, si Maria sit Dei Mater, *B. Annam Mariæ genitricem simul esse Dei aviam.* Quamvis enim id sano sensu dici possit, expedit ab hoc abstinere præconio; ne communi illa dictione videamur carnalem Christi propagationem adstruere, aut in errores impingere damnati libri Thomæ *a S. Cyrillo:* qui prædicavit, Annam esse *socrum* Sp. Sancti, eamque concurrisse ad hypostaticam unionem. Heu! istam fuge pietatem cum impietate conterminam!

Obj. Eutychiani. Divina Scriptura Jo. 1 v. 14, Sanctique Patres Justinus, Athanasius aliique suffragantur Eutychis sententiæ: ergo etc.. ℟. N. antecedens. Etsi 1 Jo. cap. dicatur *Verbum caro factum,* sicut Jo. 2 dicitur *aquam vinum facta* in Canæ nuptiis, ac fere uti Exodi 4 virga Mosis *versa in colubrum* et Geneseos 19 uxor Lot *in statuam salis:* non tamen eodem modo, per conversionem, factum esse carnem, de incommutabili Verbo narratur; sed quatenus ad suam subsistentiam traxit humanitatem, ut ratio docet theologica et Patres interpretantur: e quibus monet Augustinus, ut in his *recedat auditor a consuetudine corporum ... quanquam et in ipsis cor-*

poribus aeri lux incorrupta miscetur. Quod autem ad hos spectat, cum scripsit Justinus, Verbum esse carnem factum, sicut in Eucharistia panis fit caro Christi; sibi voluit, quod Verbum factum sit caro realiter, assumptione humanitatis in Deum, quemadmodum panis fit realiter Christi Corpus transubstantiatione: et sic in re, non in modo similitudo valet. Cum vero Athanasius in Symbolo ait, *sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus,* quo exemplo utuntur Augustinus, Cyrillus aliique Doctores, facit in hoc comparationem, haud in omnibus urgendam, quod sicut ex unione animæ et corporis una natura totalis, ad quam essentialiter ordinantur, una persona, unus homo dimanat; ita una in Christo persona, unus Christus ex unitione resultavit divinæ et humanæ naturæ, quæ, cum sint in natura completæ, in totalem unam coalescere nequeunt. Denique alii Patres, dum minus apte *mixturam Dei et hominis* adstruunt, non proprie illud usurpant nomen ejusque similia, quasi faveant Eutycheti; sed ea usurpantes, quando nil periculi erat, hypostaticam summamque in Christo unionem duarum naturarum, quatenus Verbum naturæ humanæ singulas immeat omnesque partes, *ostendere studebant,* inquit in Lib. adversus Nestorium Nestorii malleus, Cyrillus Alexandrinus.

Insistunt. Cyrillus in Ep. ad Successum et lib. 1 de Fide ad Reginas nonne luculenter Eutycheti patrocinatur? ℟. Damnavit immo, ejusque delira-

menta profligavit. Enimvero ubi ait Cyrillus, *post unionem naturas alteram ab altera non dividi*, vel, *eas sola mentis consideratione distingui;* atque esse *unam naturam Verbi incarnatam et adorabilem:* primum illud edisserit contra Nestorium, idque unum, fassus semper distinctionem naturarum, significare voluit, duas naturas adeo intime junctas esse et in una Christi persona colligatas, ut nonnisi mentis cogitatu dividantur; adhibet enim *distingui* pro *dividi* ac *separari;* quod patet ex eodem Cyrillo. Posterius quoque docuit, non ajens unicam esse in Christo naturam sed cum Flaviano, Athanasio, Basilio Seleuciensi et aliis unicam esse incarnatam, nempe divinam Verbi, quæ sola carni personaliter unita fuit, inquit D. Thomas 3 parte q. 2 a. 1: et sic ajens, unam divinam simul cum carne, veluti unum Christum unumque Theanthropon, una adoratione colendam, idest non posse humanitatem coli a Verbi supposito sejunctam; quandoquidem, ajente Nysseno Greg. c. Eunomium orat. 4, *per compagem et nexum naturalem communia fiunt utriusque utraque, DOMINO serviles vibices assumente, et SERVO dominico honore glorificato.*

CAPUT II

De Unionis hypostaticæ Natura illiusque Proprietatibus.

Quamquam Patres et Concilia promiscue dicant eodem sensu *unionem* et *unitiònem* hypostati-

cam; tamen strictius et rigorose *unitio* actionem denotat unientis , *unio* vero terminum ipsius actionis. Porro in hujusce natura unionis assignanda vehementer discrepant Scholæ Doctores, etsi omnes humanitatem unione intima, physica et hypostatica cum Verbo conjungi fateantur. Volunt aliqui, unionem hypostaticam esse ipsammet actionem, per quam humanitas Christi producta fuit: sed rectius censent alii, unionem illam realiter distingui a productione humanitatis; cum sit hæc actio utpote opus *ad extra* toti Triadi communis, ea autem unio solius Verbi divini. Sunt iterum , qui sequantur alterutrum duobus e systematis sequentibus, quæ *Le Grand* dubius nihilque definiens expandit. Scilicet alii geminæ unionem naturæ constituunt in entitate ab extremis unitis distincta; quam Gabriel esse putat qualitatem supernaturalem absolutam, Scotus relationem realem, qua natura humana refertur ad Verbum, Suarez autem entitatem modalem realiter distinctam a Verbo et humanitate : at, Thomistis hinc inde divisis, alii sunt multi, Cardinalis Cajetanus, Thomassinus, Juenin, Tournelyus, Berti cæterique, qui negant, illam distingui ab extremis; ajuntque Verbum et humanitatem seipsis absque ullo medio vel superaddita entitate conjungi in personæ unitatem.

Hi itaque sciscunt, quod unio hypostatica nil sit aliud, quam communicatio divini Esse a Verbo facta humanitati per hujus translationem in suam propriam personalitatem. Hos ego complector. Nam

1° non potest admitti entitas uniens humanam naturam cum Verbo divino, quin in eis recipiatur: sed Verbum nequit recipere entitatem aliquam, qua afficiatur intrinsece: ergo illa admitti non debet. Aliunde etiam, si e duobus aliud habeat rationem *potentiæ*, aliud autem *actus*, uti corpus et anima, atque ita humanitas et Verbum; non egent superaddito nexu, quo religentur, sed per se immediate uniuntur. 2° in eo potius consistit essentialiter unio hypostatica, quo posito omnia Incarnationis mysteria concipi et exponi queunt: posita vero communicatione divini Esse a Verbo facta humanitati, concipi et exponi ea valent. Sed hæc satis de unionis natura, quam nubes et arcani caligo circumsistit; quod haud miror, cum ne ipsa quidem naturalis unio spiritualis animæ cum corpore materiali liquido hactenus explicari potuerit.

Ad Proprietates quod attinet ejusdem hypostaticæ unionis, conveniunt Theologi omnes, ait Bertus, illam esse substantialem, naturalem, maximam, indissolubilem. *Substantialem* esse, quatenus duæ substantiæ, divina et humana, non merum juxta affectum moralemve respectum, sed physice in eadem hypostasi consociatæ persistunt, ex iis nitet, quæ disputavimus contra Nestorium. *Naturalem* vero asserimus et contra eumdem, quatenus natura, non autem persona hominis assumpta fuit; et adversus Eutychetem, quia duæ naturæ in Christo distinctæ, integræ, impermixtæ manserunt: sive naturalem dicimus, eo quod unio illa non

fictitia, non fucata, non umbratilis, sed physica, vera ac realis extitit. Quod si *naturale* accipias, prout sonat *necessarium aut naturæ debitum*: naturalem non esse constat unionem hypostaticam, quæ libera fuit tum ex parte Dei eam libere decernentis, tum ex parte Christi acceptantis, *oblatus est enim, quia voluit;* quæque supernaturalis est intuitu assumptæ naturæ, et potissima gratiarum, nullis humanis meritis debita, longeque superans omnem naturæ exigentiam. Esse ulterius omnium *maximam* patet non esse illa solum tam alte prædicata a Patribus arctissima præcellentissimaque conjunctione, at quoque jam ex extremorum infinita diversitate, jam ex immensa dignitate Verbi, tamque alta elevatione naturæ humanæ, *ut, quo attolleretur altius, non haberet.* Denique *indissolubilem* affirmamus humanitatis cum Verbo conjunctionem, sic ut Verbum nec deseruerit humanitatem, nec deserturum sit unquam: quæ res, fulta divinis Litteris, ubi *Christum manere in æternum*, ejusque æternum fore regnum æternumque sacerdotium, crebro denotatur, veritas est fidei contra hæresim aliquorum, nomine, a voce *Christos* et λύω *solvo*, Christolytarum; qui Christum post suam ascensionem carne se exuisse nugabantur; et Marcelli Ancyrani, qui effutiit, eum post judicium finale suam humanitatem esse depositurum, et regnum suum Patri resignaturum. *

* Insuper omnium Fidelium consensio est, quamvis non extet Eccle-

Quæstio tamen inter Dominicanos et Fratres Minores exorta fuit in Hispania medio sæculo XIV, an sanguis in Passione effusus remanserit Verbo unitus toto triduo mortis. Ac pugna inter eosdem recruduit post centum fere annos coram ipso, per triduum, Summorum omnium Pontificum literatissimo, Pio II; cum negativam sententiam publice prædicasset B. Jacobus a Marchia Minorum Familiæ, damnatam vero juxta Morlandinum a Clemente VI ut hæreticam, Jacobus Brixianus Familiæ Prædicatorum *immerito* contendisset. Nil autem Pius definivit, vetuitque sub pœna excommunicationis, ne Minoritæ pro negativa obstinati adversarios Dominicanos, aut hi mutuo illos hæreseos censuræ nota inurerent. Adisis ex Historicis omnium præcipue Gobellinum ac Sponda-

---

siæ definitio, nec per triduum mortis divulsam fuisse divinitatem a corpore eoque minus ab anima Christi separatis: in cujus adserti testimonium, (desertis, vel, quod satius, benigne expositis aliquot ex Antiquis non de separatione Divinitatis, sed de subtractione protectionis specialis, ut Jesus pati et mori posset, per triduumque mortem experiretur), Patres reliqui ad unum citantur. V. Gazzanigam.

Et sane e fidei Symbolis Christus quantum ad corpus jacuit in sepulcro, et ad inferos quoad animam descendit; qui autem Christum nominat Divinitatem dicit cum humanitate, vel tota simul, vel ejus partibus, hypostatice conjunctam. Unde istud effatum, moraliter intelligendum, quod est Gregorii Nysseni, omnes Scholas pervasit: *quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit*: jam enim dixerat M. Leo pontifex serm. 27, *in tantam unitatem Dei et hominis naturam convenisse, at nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi;* dixitque jam explicavitque rem totam lib. 3 de Fide Damascenus cap. 27.

num, et, si *Callium* omittas collegii Ambrosiani doctorem, e Scholasticis Claudium Frassen ac laud. Gazzanigam. Sit interim pro elucidatione hujus non injucundæ disputationis

PROP. I Certa aut probabilior est sententia, effusum illum Christi sanguinem, in resurrectione resumendum, non excidisse unione hypostatica, sed toto triduo mansisse unitum Divinitati. *Ita communiter in paucos.*

Prob. 1°. Divina Scriptura sæpenumero testatur, nos pretioso Christi Sanguine fuisse redemptos: *scientes*, ait S. Petrus ep. 1 c. 17, *quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi:* at unde pretiosi cruoris virtus ista et efficacitas, nisi ab ejusdem unione hypostatica cum Verbo? Secundo ait Christus Jo. 6: *qui bibit meum sanguinem, in me manet, et Ego in illo.* Proinde si quis Apostolorum triduo mortis sacra peregisset, præsens vi verborum consecrationis, etsi tunc sejunctus a corpore et anima, factus fuisset verus sanguis Christi; ac sicut latriæ cultu fuisset adorandus, ita qui eum bibisset, habuisset in se Verbum: atqui nec sanguis cultu latreutico fuisset adorandus, nec eum bibens in se Verbum habuisset, si sanguis eidem Verbo haud fuisset unitus: ergo etc..

Prob. 2°. Multi e SS. PP., quanquam apertius ob opportunitatis defectum de hac re loquuti non fuerint, nihilominus sanguinem, qui ex Chri-

sti latere manavit, salutarem dicunt ac vivificum: ergo cum divinitate *inseparabiliter* unitum supponunt. Confirmatur ex illo Gregorii apud Damasceni Scholiasten, *quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit:* assumpsit vero hypostatice sanguinem uti partem ex D. Thoma humanæ naturæ integrantem, prout infra disseremus: sanguinem igitur triduo mortis non dimisit. Accedit factum VI Clementis, qui Franciscano cuidam Concionatori, quum Barcinone a. 1351 contra nostram sententiam publice pronunciasset, imperavit, ut caneret publice palinodiam, unde tota tunc certatio consopita fuit; tum deinde factum Pii II, qui in triduana illa concertatione, quam retulimus, majori cum parte adstantium Cardinalium et Theologorum, sententiæ huic nostræ assentiebatur.

Prob. 3° hac ratiocinatione. Ideo caro et anima in triduo mortis Verbo remanserunt unitæ, quia erant pars humanæ naturæ resumenda: ergo pariter totus sanguis reassumendus, quia est pars integralis humanæ naturæ, indissolubili nexu devinctus Dei Verbo remansit. Hæc autem coarcto, et dico tantum de sanguine *resumendo.* Nec enim dicimus, hypostatice unitam fuisse Divinitatem parvis iis guttulis in passione effusis, sine quibus stat adhuc integrum corpus, et quas Christus resurgens non reassumpsit; sicut nec mansisse unitam communiter Fideles existimant aut pelliculæ præputii, quæ Romæ asservatur in Lateranensi, aut dentibus, quos Christus infans mu-

tavit, seu crinibus, qui exciderunt, vel unguibus, quos ipse minuit. Alias fatendum esset, Christum esse alibi quam in Cœlo et Eucharistia; si nempe Verbum mansisset unitum hisce portiunculis sanguinisve guttulis, quæ in terris remanserunt: prout quoad sanguinem nostra hæc ád eruditionem et pietatem non ingrate declarabit

PROP. II. Christus totum moraliter sanguinem, idest quoad maximam partem, a mortuis ad vitam surgendo reassumpsit; probabilius autem, quod totum physice non resumpserit, quo, relictis quibusdam guttulis, fidelium pietas excitaretur.

Prob. 1ª pars, cui omnes suffragantur. Quia in corpore Christi temperatissimo nil redundabat sanguinis: ergo cum iste pertineat ad corporis integritatem, totus moraliter, aut scilicet, quoniam temperamentum non consistit in indivisibili, ferme totus reassumptus est. Hinc de totalitate morali loquutum fuisse putamus Aquinatem, dum scripsit 3 parte quæst. 54 a. 2: *totus sanguis, qui de corpore Christi fluxit cum ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in corpore Christi resurrexit.*

Probatur 2ª p. adversus Johannem S. R. E. Card. a Turrecremata aliosque Theologorum. 1° ex historicis monumentis et traditione constat, asservari in variis Ecclesiis reliquum aliquid sanguinis Christi. Talis est ille, quem Longinus, qui lancea latus ejus aperuit, *e latere currentem ipsius Jesu recepit, et Mantuæ propter hostes fi-*

dei sub terra occultavit: hac enim effossa cruor sacer, hisce verbis in epigraphem appositis, una cum corpore ejusdem Longini Martyris, in Cappadocia passi, adinventus fuit sub celebri Leone III; qui eum recognovit et probavit, ut multi testantur adversus *Platinam* Paparum vitæ scriptorem, ac Mantuæ in D. Andreæ collocavit: eumque (cujus ejusdem Mantuani sanguinis pars est apud Weingartense Monasterium, ab Innoc. VII probata et ab Augustino Haag critice discussa) dein Leo IX trifariam divisit, partemque in Lateranensem Basilicam asportavit. Equidem vero, ut generatim et brevius id loquar, aliquæ sanguinis reliquiæ a B. V., ab ejus custode Johanne Evangelista, et S. item Magdalena in quibusdam ampullis pie collectæ et conservatæ creduntur. 2°. Etiam nunc inspiciuntur Christi Passionis instrumenta; Corona spinea, quæ in Regio Parisiensi Sacello, et lancea, quæ in Urbe asservatur; uti quoque sudarium S. Veronicæ, quæ, dum trahebatur crucifigendus, effluentem e Jesu vultu sanguinem sacrumque sudorem abstersisse fertur; impressa divinitus in panniculo sacrosancti vultus immagine; necnon, Taurini servata penes Sabaudiæ Domum, prætiosa syndon, qua Christi corpus involutum fuit et conditum monumento. Hæc, inquam, sacro aspersa cruore conspicimus, eaque piissime veneramur: ergo etc. *

---

* Jo. Baptistæ Mantuani, XVI sæculi Carmelitæ, pios de S. Longino

OBJECTIONIBUS fit satis. Objiciunt adversus primam Conclusionem 1°. Si Sanguis Christi fusus Verbo perstitisset unitus per triduum mortis, daretur communicatio idiomatum inter Verbum ipsum et sanguinem, et sic dici posset, *Verbum est sanguis:* absurdum consequens: ergo et illud, unde consequitur. ℟. Ad hoc argumentum, quod æque militaret iudubiam contra veritatem de sanguine existente in Jesu corpore et cum Verbi hypostasi unito, n. sequelam majoris; quia per communicationem idiomatum duæ naturæ completæ de se invicem prædicari quidem possunt, non vero integra de partiali, sive partialis de integra recte potest: ideo nec dicitur, *Verbum* aut *Deus est anima, Deus est corpus;* etiamsi spectetur triduum mortis, quando anima divulsa erat a corpore.

Obj. 2° Stante nostra sententia, sequeretur, dici posse, quod Filius Dei adhæserit pavimento, flagellis etc., quibus sanguis adhæsit; sicut ex eo quod Filius Dei esset unitus carni sepultæ, dici-

---

et III Leone versiculos non alienum hic erit suis e Carminibus excerpere; quæ tamen carmina periculosum esset integra perlegere: =

« Sæcula post aliquot tua sunt translata per undas
« Corpora in Italiam, Christi cum Sanguine Sacro,
« Ad crucis excelsæ quondam vestigia lecto,
« Atque in vase brevi tecum post fata sepulto.
« Ultima divino sedes tibi Mantua metu
« Hospitiumque fuit, mediis ubi mœnia in undis
« Dicitur antiquus quondam posuisse Bianor.

tur sepultus: ergo etc.. ℟. Nego sequelam et paritatem. Discrimen est, quod cadaver, etiam sine sanguine, sumatur pro toto, communi hominum loquentium usu, non ita vero sanguis: unde carne Mævii sepulta, dicitur Mævius sepultus, sanguine autem Mævii effuso aut collecto, haud dicitur Mævius effusus vel collectus. Ita Franciscanus Henno breviter suo more reponit.

Arguunt 3° contra posteriorem Thesin. Athanasius cap. 7 libri *De passione Imaginis D. N.* refert, sanguinem, qui velut Christi circumfertur, non esse eum, qui ejus fluxit e corpore, sed illum, qui ex imagine Christi, a Judæis percussa Beryti in Syria, defluxit: aitque, non alium sanguinem in terris inveniri, *nisi illum, qui in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur.* Sic Joannes de Turrecrementa Dominicanus. ℟. Censent nonnulli, Auctorem illum, licet non parvæ sit auctoritatis, haud esse tamen Athanasium Magnum; quandoquidem ex Baronio supremum hic diem obiit a. 372, at miraculum illud evenit a. 765. Sed liberaliter agamus. Sit ille M. Athanasius: ei vero III Leonem, et VII Innocentii Bullam et aliam Pii II item, itemque Julium II et Doctorem Angelicum *Quodl.* 5 *a.* 5, piam quoque omnium pene fidelium ex adverso traditionem ponimus; in tutoque ideo Thesis, ut prior, hæc postrema sedet.

SECTIO TERTIA

De humana Christi Natura speciatim.

CAPUT I

De Christi Corpore.

Ad revincendam Judæorum Ethnicorumque cæcitatem postquam primæ Sect. capitulo primo nostram locavimus operam; jam dein Sect. secunda bellum vidimus vicimusque domesticum et intestinum, quod excitarunt, qui a nobis exierunt, Nestoriani et Eutychiani, adversus personæ unitatem ac naturarum Christi distinctionem. Colluctandum nobis in præsentia cum iis, qui in humanam Christi naturam effrene adeo bellum moverunt, ut affirmari jure possit, nullam ab Hæreticis partem relictam fuisse invulneratam et integram in Christo Jesu, quem misere lacerant, et fœdissime discerpunt.

Primum itaque solidæ carnis veritatem (quæ vulnera impingantur in animam Christi, videbimus inferiori cap.) ei abstulit sæculo I Simon magus Samarites, a Philippo baptizatus, Helenæ amasius et Hæreticorum omnium parens, ex quo,

inquit Irenæus, universæ hæreses substiterunt: Simoni autem mago adhæserunt sæc. II Marcion, appellatus *Antonianus hæreticus sub Pio impius*, et III dein sæc. Cubricus seu Manes, Manichæorum pater; effutientes, quod Christus phantasma fuerit, nec verum corpus, sed äerium et umbratile gestaverit, ubi *non solum mortem, verum etiam resurrectionem similiter mentiretur*, ut refert de hujusmodi Manetæorum errore S. præsul Augustinus. Omnium nos insaniam brevi perstringemus: addemusque eadem thesi communem Catholicorum opinationem de partibus corporeis quas immediate Verbum assumpserit.

2° est etiam hac super re alterum commentum: Valentini scilicet, inventoris *Æonum* aut famosi illius ac perridiculi *Pleromatis;* tum quoque Apollinaris et Apellis. Hi hæresiarchæ etsi verum corpus Christo attribuerent, in assignanda Christi veræ carnis natura ac origine dissentiebant, hoc tamen æque venditantes: non sumpsisse Christum corpus e matre, neque hoc terrenum fuisse, sed illud e Cœlo delatum ipsove in descensu contextum transmeasse per Virginis uterum, quasi aquam per fistulam; vel natum Christum *per Virginem, non ex Virgine, in vulva, non ex vulva*, ut Tertullianus perhibet in Lib. de Carne Christi. Atque his affines sunt recentiorum errores hæreticorum, Barclaji ac Poireti et Petersenii, qui cœleste quoddam corpus, inter creatum increatumque medians, Christo Domino effingunt ante Verbi Incarnationem in Virginis u-

tero peractam. Cum iis eodem loco alii a nobis Hæretici vapulabunt, videlicet tum Carpocrates, Cerinthus, Ebion, qui ab Ecclesiæ cunabulis tradiderunt, Christum merum esse hominem ex Josepho et Maria communi hominum more genitum; quod idem adversus Deiparæ virginitatem ructant Judæi præsumentes, Messiam ex sciente virum puella nasciturum: tum arianus Eunomius, excucullatus Monachus Jovinianus, et Helvidius a magno Hieronymo refutatus; qui Mariam, postquam prodigiose Jesum enixa fuit, plures e Josepho filios suscepisse, sæc. IV blaterabant.

3° tandem inter Eutychianos nonnulli, duce Juliano Halicarnassensi Episcopo, dixerunt, carnem Christi fuisse incorruptibilem et impassibilem, nullisque doloribus subditam, quasi humanitas in Verbo penitus absorpta fuisset, unde *Aphthartodocitæ* seu *Incorrupticolæ* dicti sunt. Et hi auctoritate et ratione castigabuntur. Dehinc cohærenter aliam libabimus de forma Christi quæstionem, ubi quidem ex antiquis PP. videntur speciei deformitatem Christo adjudicare; quidam autem recentiores Critici ac Theologi, Hyacintus Serryus, Calmet, Juenin, Tournelyus aliique in id sententiæ propendunt, quod Christus formâ fuerit nec insigniter eleganti, nec turpi, sitque incertum, quam præcise præsetulerit; alii tamen Viri nuperiores, Sandinus, Frassen, Bertus, cæteri, licet abjudicent Christo quidpiam muliebre et affectatum, quo carnales oculi capiuntur, attamen singularem illi tribuunt pulchritudinem, in apta par-

tium dispositione, statura et coloris temperamento constitutam. Atque hos ultro consectabor. Sit hinc a summo capite triplex propositio, quæ rem totam penitus absolvat. *

PROP. I. Verbum Dei assumpsisse solidum ac verum corpus, *est de fide*: assumpsit autem *immediate* dentes, ungues, capillos, et quatuor humores, atque ex his maxime sanguinem; *estque communis contra Durandum.*

Prob. 1[a] pars. Præter ea, quæ sparsim nostris hisce prælectionibus momenta reperiuntur, hæc abunde fidei adsertum suadent. Luc. 24 Chri-

---

* In modo dictam hæresim Ἀφθαρτοδοκιτῶν, Incorrupticolarum, prolapsum esse virum Imperatorem, nemo, me meminisse, gravabitur. Hic est ille celebratissimus romanorum Imperator, Justinianus, qui totius romani orbis excellentissimis usus ICTIS et maxime Triboniano illorum duce, variam immanem abnormem farraginem juris, quantumcumque istud et qualecumque primitus extabat, in eum redegit, suas deinceps addendo *Novellas* constitutiones, ordinem ac corpus, quo nunc utimur ac fruimur: *Corpus*, inquam, Romani juris, quod nimirum, præter *Novellas* seu *Authenticas* 168, in sese complectitur 4 libros *Institutionum*, Codicis vero *Justinianei* 12, et 50 *Pandectarum* aut Digestorum.

Is itaque, qui posuit jura mundo, et famosi ope Belisarii, Narsetis, Alexandri, Africam a Vandalis resumpsit, domesticos externosque domuit; non tamen theologizandi libidinem vicit domuitque suam, nec uxoris suæ Theodoræ compescuit eutychianum et insolens ingenium. Hic præfatam in hæresim abreptus, a femina devictus fuit magnus ipse victor et imperator, repentina demum morte correptus idem ac victus, et, cum jam succenseret Orthodoxis exiliumque pararet, interceptus, extinctus.

stus a mortuiis redivivus sic undecim Apostolos existimantes, ut eum viderunt, se videre spiritum affatus est: *quid turbati estis ?... Videte manus meas et pedes, qui ego ipse sum: palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere:* verumenimvero Christus de ficto et phantastico corpore, meram inducente fascinationem oculorum, citra mendacium sic loqui non potuisset. Insuper D. Augustinus, a quo non dissonat chorus SS. Patrum, hoc argumento premit Phantasiastas: *si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus, et si fefellit, Veritas non est: est autem veritas Christus: non igitur phantasma fuit corpus ejus; alioquin esset dicendum quod ejus nativitas ex Virgine, passio, mors et resurrectio fuissent solum quid phantasticum et imaginarium... igitur inanis erit prædicatio et fides nostra.* Quis autem hoc dicat sine hæresi et impietate? ait, Doctorum aquila, idemmet Augustinus. Nec in re tam lucida delectat, Nicœnum I et Constantinopolitanum IV, quæ alias citavimus, iterum recitare.

Prob. 2ª pars. Quidquid attinet ad meliorem constitutionem et integritatem humanæ naturæ, functionumque necessarium exercitium, a Verbo assumptum fuit *immediate;* idest non solum remote vel ratione alterius seu totius, in quo includatur, sed et proxime in Verbi ipsius hypostasin assumptum: atqui pertinent dentes, ungues et crines ad naturæ humanæ meliorem constitutionem et ornatum; ad integritatem vero functio-

nesque vitæ, præter vitales spiritus, spectant atra bilis et flava, pituita simul ac maxime sanguis, *quibus quatuor humoribus*, ait Augustinus, *naturam carnis temperari etiam Medicinæ disciplina testatur:* ergo etc. Rursus adde hæc de sanguine: *quia pueri*, inquit Paulus 2 ad Hebræos, *communicaverunt carni et sanguini*, nimirum quia his constant homines, *et ipse similiter participavit eisdem:* cum caro igitur immediate unita sit Verbo Dei; sanguis itidem, de quo perinde ac de carne Paulus et Patres eloquuntur, immediate unitus sit, oportet. Hinc Clemens VI ait, *quod gutta sanguinis modica propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficiebat.* Dispar autem ferendum est judicium de substantiis inter alimenta ac sanguinem mediis, itemque lacrymis, sudore, saliva cæterisque hujus generis: quæ cum sint tantum superfluitates excrementitiæ, nec sit quid permanens in homine, ideoque nec, uti alia, in gloriosis Beatorum corporibus locum habeant; hinc illas Verbum immediate non assumpsit. *

* « Immediate ». Hanc dum sæpe vocem usurpavimus solita usi sumus enunciatione multorum. Recte etiam in his *proxime* proximamque unionem dicere eodem sensu poteris. Ita vero si efferas, tum distincto quoque verborum sono, sin autem per τω *immediate*, nostræ tunc doctrinæ sententias usurpa distincto saltem intellectu ab illa Patrum cum *Angelico* 3 p. q. 6 Theologorumque cum *Magistro* sententia ac phrasi; qua pronunciemus, a Verbo animam *immediate*, carnem vero hypostatice assumptam esse *mediante anima;* nempe et illam proxime quidem non remote, sed tamen propter habitudinem, quam habet ad animam, in qua, per se assumpta, illius assumendi ratio consistat. Citant Gregor. Nazianzenum orat. 1, 35, 51, præter Origenem ac Rufinum et Augustinum Romanumque Gregorium.

Objic. Phantasiastæ. Ad Philipp. 2 Christus affirmatur *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo:* ergo Christus apparentem dumtaxat, non veram carnem habuit. ℟. dist. textum: Christus dicitur factus in similitudenem hominum veram et naturalem, quæ sita est in ejusdem naturæ communione; concedo: apparentem et phantasticam, quæ in externa tantum specie consistit, nego antecedens. Haud abnuimus in Christo figuram similem cæterorum hominum, unde subditur, *et habitu inventus ut homo ;* sed illa exterior forma et similitudo communionem substantiæ corporeæ cum cæteris hominibus non excludit, ut non expungit Scriptura Genesis, cum de Adamo narrat, *genuisse Seth ad similitudiuem suam.* Nec obest particula *ut,* quæ eodem modo ac reliqua similitudinis adverbia, *quasi, velut* etc., in divinis Codicibus ipsam quoque significant rei veritatem.

Urgent. Ast nonne revera in Veteri Test. aut ipse Filius Dei aut Angeli hominibus apparuerunt absque reali proprio corpore? ergo etc.. ℟. Primo, vera est, ait Juenin, aliquorum Græcorum PP. sententia, Theophili ex. gr. et Justini, qui contenderunt, apparitiones, de quibus agitur, factas fuisse in persona Verbi; aliunde, sive Dei filius, sive Angeli olim apparuerint, assumpta ab iis corpora (quæ quidem assumpta non nata fuerunt) vera ac solida extitisse, tradunt quamplurimi; quocirca in Adversarios retorqueri potest argumentum. Secundo, Angeli ad breve tempus, quo hominibus ap-

paruerunt, ad certum quoddam genus actionum, larvam se corporis induisse, monstrarunt, attestantes, se uti *cibo invisibili et potu*, ut Raphael dixit Tobiæ: Dei Filius autem (qui, cum potuisset etsi in carne non natus humano generi apparere, voluit tamen circumdari carne mortali) in hac quidem mortali carne vere manducavit et bibit, ac triginta amplius annis vitam vixit veri hominis veram atque mortalem.

Instant iterum. Cum dicitur ad Rom. 8, *misit Filium suum in similitudinem carnis peccati*, innuitur similitudo apparens, quia Christus carnem non induit peccatricem: ergo et in proxime citatis aliisque locis idem indicatur. Etenim 2° fictam et specie tenus similem ille carnem habuit, qui prodiit non fracto claustro virginali, ad Apostolos clausis januis introivit, ab eorum aspectu evanuit, super undas ambulavit. ℟. Ad 1 n. consequentiam et paritatem. Immanis est disparitas; quæ ex ipsa S. Scriptura desumitur, cum declarat evidenter, hinc Christum esse sanctum nulliusve peccati sontem nullique peccato obnoxium, hinc vero ea expertum, quæ mortalis soliditatem carnis, non umbratilem similitudinem probant. Ad 2. Labefactat argumentum Doctor Aquinas his verbis: *ita Christus voluit veritatem sui corporis demonstrare, ut etiam ejus divinitas declararetur, et ideo permiscuit mira humilibus; unde ut corpus ejus verum ostenderetur, nascitur ex femina, sed ut ostenderetur ejus deitas,*

procedit ex Virgine: et sic ad cætera descendit. Neque nos hic amplius immoramur.

PROP. II. Christi corpus, materna carne Sancto operante Spiritu compactum, ex Maria genitum est: quæ utique ante partum et in partu et postea Virgo perseveravit. *Est de fide.*

Prob. 1ª pars: Angelus Gabriel sic compellat Joseph, Matt. c. 1, *noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Sp. Sancto est; pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum:* quod confirmat Lucæ narratio c. 1; tum Paulus 1 c. ad Rom. ajens de Christo, *factus est ei ex semine David secundum carnem;* rursumque ad Gal. c. 4 dicens *misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Ita vero factus ex ea fuit, ut juxta communem M. Gregorii sententiam Christi corpus non successive, sed, statim ac conceptum, fieret integrum atque perfectum; scilicet, inquit Gregorius, *Angelo nuntiante et Spiritu Sancto adveniente, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum Caro,* idest Deus-Homo perfectus. Hinc SS. Patres, ut scribit Cyrillus Epistola ad Nestorium, *non dubitarunt, sacram Virginem Deiparam appellare... quod sacrum illud corpus anima intelligente* perfectum ex ea traxerit. Ipsa vero Sancti Cyrilli Epistola approbata fuit a Conc. generali Ephesino. Quæ omnia Valentinianis et Bardesanistis seu Apellejanis jugulum petunt: quos jam et in Lib. de Carne Christi Tertullianus impetiit.

Prob. 2 pars. Ex citato cap. 1 Evangelii Lucæ Archangelus, Mariæ afferens nuncium Incarnationis, *ecce concipies,* ait, *in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum:* at castissima mulier sollicita de virginitate, quam voto nuncuparat, inquit, *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* tunc Angelus modum revelat, quo sine viro conceptura esset, *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Unde narratur Matt. c. 1, *cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens De Sp. Sancto... Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: ecce Virgo concipiet et pariet filium.* Maria igitur virgo concepit, peperitque virgo filium emittens clauso utero iuviolatoque virginitatis sigillo, et hinc, contra Carpovium, sine doloribus; scilicet ante partum et in partu virgo fuit. Quod vero non solum ante et in partu, sed post etiam inviolata perstiterit, Patrum suffragia plenissima, vox Ecclesiæ universæ, divinæ, inquam, Traditionis auctoritas, et ipsamet congruitas perpetuæ virginitatis in purissima adeo Dei matre suadent aperte, ac plane definiunt. Quid sane decorum, quid virtutis illi deerat, quid magnum illi, membro Ecclesiæ principi, cui recte accomodantur hæc symbolica Cant. 4, 13? » Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha

et alöe cum omnibus primis unguentis. » Adi Contensonium in *Mariologia* et maxime Hieronymum in Lib. adversus Helvidium; ubi rusticanum hunc vixque primis imbutum litteris Hæreticum, emotique capitis hominem, et in eo Mariæ Virginis adversarios Antidicomarianos, expugnat acriterque divexat. — Adi quoque, dum vacas, circa Conclave sacrum Nazarethanæ domus, Natalem Alexandrum aliosque. Illud nempe conclave, in quo Virgo fuit ab Angelo salutata, translatum fuisse prodigiose per äerem ab Angelis, ab eisque tandem in loco, ubi civitas nunc Lauretana consistit, sub sæculi XIII occasum fuisse depositum; cum Alexander narrat ad sæc. XIII, tum ex miraculis probat Tursellinus, necnon alii complures ex traditione confirmant.

Opponunt Antidicomarianitæ. Lucæ 2 de Maria et puerulo Jesu perhibetur: *postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino*: ergo necesse fuit, ut Maria post partum purgaretur, proindeque in partu virginitatem non servavit illibatam. ℟ negando consequentiam. Hæc nec Christum significant cæterorum filiorum more natum esse, nec peperisse Matrem ejus Mariam more cæterarum; sed commendant et filii et matris humilitatem, qui cum nil simile cæteris nihilque labis experti fuissent, eidem legi, omnem masculinum primogenitum offerendi Deo, sese subdere non renuerunt, ad scandalum vitandum. Consimiliter idem Christus in obe-

dientiæ exemplum legibus parere voluit tum de circumcidendis pueris, tum de vectigalibus solvendis, licet illis subditus non esset. Nec Tertulliani ac Origenis, cum quibus verba Lucæ obtrudere solent Adversarii, nos movemur auctoritate innixi conspiratissimæ totius christiani orbis auctoritati: ii enim pervetusti Scriptores, qui *Ecclesiæ homines non fuerunt*, ut phrasi utar Hieronymi, quemadmodum in aliis multis, et hic a nobis deserendi sunt; nam ipsi veritatem deseruerunt: quam vero canon tertius Concilii Later. sub Martino I solemniter agnovit, firmiterque retinuit.

Objiciunt Helvidiani illud Matthæi dictum, Joseph non cognovisse Mariam, *donec peperit filium*: ergo *apparet*, ait penes Hieronymum Helvidius, *cognitam esse post partum*. ℟. N. consequentiam. *Donec* et *usque* sæpe certum, sæpe infinitum tempus significant, ut istud in Prophetis, inquit Hieronymus, *Ego sum, ego sum, et, donec senescatis, ego sum: numquid, postquam illi senuerint, Deus esse desistet?* nec ergo pariter, postquam Maria peperit, aut cognita fuit a Joseph, aut virgo esse destitit; sed ad illud usque tempus virgo permansit, ac exinde virgo perseveravit. Significationem hanc, quam pluribus Scripturarum exemplis S. idem Doctor et passim ac vulgo omnes adstruunt, illustria Latinorum, Horatii lib. III od. 5-45, et præsertim T. Livii lib. I c. 39, loca confirmant. Sic enim ibi refert eloquentissimus historiæ Romanæ parens: » Eo tempore in regia prodigium visu eventuque mirabile fuit. Puero dor-

mienti, cui Servio Tullio nomen fuit, caput arsisse ferunt multorum in conspectu. Plurimo igitur clamore, inde ad tantæ rei miraculum orto, excitos reges. Et quum quidam familiarium aquam ad restinguendum ferret, ab regina retentum: sedatoque eam tumultu moveri vetuisse puerum; *donec* sua sponte experrectus esset ». Experrectum igitur licebat moveri, quod non antea licebat? nugæ vero! inquit Bauerius. Ita igitur et illud Vulgatæ, *donec peperit filium*, et hoc græcæ editionis Matt. 1 v. 25, ἕως οὗ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς, interpretaberis.

Objiciunt iterum. Helvidius postremo loco id proponit apud S. Hieronymum, quod de Christo dixerunt Matt. 13 populares ejus Nazarethani: *nonne hic est fabri filius... et fratres ejus Jacobus et Joseph et Simon et Judas?* ergo Maria plures ex Josepho post Christum filios effudit. ℟. Quanquam PP. nonnulli senserint, fratres Jesu esse filios Joseph alia uxore progenitos; nos tamen non unius Mariæ virginitatem, sed et Josephi perpetuam hic juxta piam fidelium mentem adseveramus. Nam quis adeo Scripturarum rudis, ut ignoret, quum quatuor modis ibi *fratres* dicantur, ait Hieronymus, *natura, gente, cognatione, affectu,* consanguineos in eisdem appellari *fratres?* Qui ejusdem sunt generis, inquit Pineda, ab eodemque capite trahunt originem, fratres in Scriptura dicuntur. Sic Genes. 15 Abrahamus Loth nepoti suo dixit, *ne, quæso, sit jurgium... fratres enim sumus:* qui ergo fratres Christi di-

cuntur in Evangeliis, consanguinei ac consobrini ejus sunt; hinc ad Helvidii argumentum n. consequentiam. *Imperitissime hominum*, ita demum adversus eum insistit Hieronymus, *responde mihi, quomodo Jesus sit filius Joseph, quem constat de Sp. Sancto esse procreatum? An putabatur? Vere Joseph pater fuit? Quamvis sis hebes, dicere non audebis. Eodem modo æstimentur et fratres, quo æstimatus est pater.* *

PROP. III. Christi domini Corpus dolori sensitivo et communibus defectibus fuit obnoxium; *quod est de fide*: non autem habuit Christus particulares defectus hominum, sive morbos sive deformitatem; immo eximia formæ venustate splenduit.

Prob. 1ª pars. Quod de Christo prophetavit Isaias c. 53, *vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*, habuit profecto complementum, ut Matt. 4 v. 2, 4 Jo. v. 6 aliisque locis apparet. Scilicet Salvator adorandus, *vir do-*

---

* Quandoquidem Jesum, et *fabrum* Marci 6 et hic Matt. 13 filium *fabri* dictum esse, percipimus, innuam vobis ad doctrinæ varietatem, videri Christum juxta Marci dictionem, quod in arte fabrili exercenda juverit Josephum: hunc autem fuisse fabrum juxta Matthæum; ex Ambrosio quidem et Hilario *ferrarium*, ex Hugone *murarium* vel *aurificem*, doctore autem Chrysostomo et Græcis omnibus, quos sectantur Aquinas et alii vulgo, *lignarium*. Unde hæc lego penes Justinum in Dial. cum Tryphone cap. 88: *fabrilia opera faciebat, cum inter homines versaretur, aratra et juga, his rebus etiam justitiæ insignia, et vitam actuosam docens*. Sed hæc per transcursum dicta sunto.

lorum, et sciens infirmitatem, qualiter eum vocat Jesaias, *postquam jejunasset quadraginta diebus et noctibus, postea esuriit, idest,* ait Tertullianus, esuriit sub diabolo; *fatigatus ex itinere sedit supra fontem,* ac sitiit, ait ille, sub Samaritide; *flevit super Jerusalem; cœpit pavere; crucifixus est in infirmitate;* pendens in cruce *sitivit,* ac tandem passibilis et ipsi morti obnoxius expiravit: ergo etc.. Eccur autem ejus rei testes excitabo Patres, cum possem omnes Aphthartodocitis commovere? Satius sit adnotare ex sapientissimo Doctore Augustino aliorumque adstipulatione unanimi, illud inter Christum cæterosque homines interesse discrimen, quod 1° infirmitates aliorum trahant originem ex peccato, cujus sunt pœnæ; ac 2° doloribus inviti sæpe conflictentur; et hinc 3° motibus irrationabilibus perturbati eos non semper imperio vel ratione compescant. Christus vero, agnus impollutus atque omni culpæ nævo suapte natura expers, pro peccato alieno hominumque salute tantum suscepit infirmitates hominum; et voluntarie passus ac mortuus est, dolore nullo prævertente consensum, perseverante nullo sine consensu dolore; et quidquid in se fuit doloris vel affectionis humanæ, quia deliberatum, placidum erat et ordinatum, ipse regebat et suum ad nutum moderabatur. Sic namque sanctitudo ejus ejusque beatitas et unio hypostatica exigebat. Cæterum, ea stante, una cum exuviis hominum ordinatas humanæ naturæ passiones convenienter assumpsit: impeditumqne est divinitus, modo pror-

sus arcano, ne beatifica visio ejus animæ et gaudium partis seu respectus in ea superioris resiliret in corpus aut difflueret in inferiorem animæ partem, quæ circa sensibilia versatur: *debuit enim fratribus assimilari,* ait Paulus, *ut repropitiaret delicta populi.* Quæ omnia sedulo animadvertatis: his certe tot Adversariorum tela retunduntur. *

Prob. 2ª pars. Hanc et priorem demonstrat D. Th. 3. p. q. 14. Equidem singularium hominum propriæ et personales infirmitates, secus ac communes aliæ, ad opus redemptionis humanæ haud erant necessariæ, sed ei potius officiebant; adspectus etiam aut formæ turpitudo in Christo reparatore, ab isto homines avocando, obstitisset impendio consiliis ejus: eos igitur defectus non assumpsit. Id insuper corpus oportuit esse perfectum, quod divina S. Spiritus operatione formatum est, quodque nil habuit adversum aut rectæ constitutioni aut formæ venustati; non nimirum fœ-

* Jam modo loquatur nostras inter Patres Ignatius, qui initio Ep. ad Smyrnæos ita de Christo scribit: *Vere passus est, sicut et vere seipsum resuscitavit; non ut quidam infideles dicunt, secundum opinionem ipsum passum esse, ipsi secundum opinionem existentes: et quemadmodum sapiunt, sic et continget eis; qui phantastici sunt ac dæmoniaci.* Et postquam illico continenter affirmat, « Ego enim et post resurrectionem eum in carne novi, « paucis interjectis sic item inculcat: *Si opinione sola hæc a Domino nostro sunt peracta; et ego opinione solum vinctus sum. Quid vero et meipsum morti dedititium tradidi, ad ignem, ad gladium, ad bestias? Verum qui prope gladium, prope Deum est: qui cum bestiis, cum Deo est.*

turæ vel partus incommoda, non excessus in victu, non morum intemperiem, non denique peccatum, unde prima et antiqua mali labes: quæ quidem homines adversa patiuntur. Eamobrem de speciosissimo vultu Christi Domini istud Prophetæ prædicamus Ps. 44, *speciosus forma præ filiis hominum*; cujus næ *oculi pulchriores vino, et dentes lacte candidiores*, sicut prænarratum est Gen. 49. *Certe*, ait Hieronymus ad cap. Matthæi 9, *fulgor ipse et majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere* poterat *aspectu*. Ita sentit Mellifluus Serm. 1 omnium SS., sic B. Chrysostomus, ita Basilius, sic Augustinus, ita Thomas; qui hujusmodi theologicam rationem profert in Psalmum modo citatum, quod pulchritudo in Christo Domino *maxime competebat ad statum et reverentiam suæ conditionis:* ita demum Nicephorus, qui, ut a Majoribus acceperat, Hist. Eccl. libro 1 c. 40 de Jesu luculenter inquit, *egregio vividoque vultu fuit.* *

---

* Hæc est continens orationis series ejusdem Nicephori Callisti, post Eusebium ac Socratem et Sozomenum, Theodoretum et Græcorum alios, Græci item historiographi sæculo XIV: « Egregio vividoque vultu fuit, corporis statura ad spithamas prorsus septem: cæsariem habuit subflavam nec admodum densam, supercilia nigra, barbæ capillum flavum nec admodum demissum, capitis vero prolixiorem... Porro frumenti referens colorem, non rotundam, aut acutam habuit faciem, sed qualis Matri ejus erat, paullum deorsum versus vergentem, ac modice rubicundam, gravitatem cum lenitate conjunctam, placabilitatemque præseferentem. »

Audiuntur objectiones. Arguunt 1 adversus primam partem. David Ps. 15 prænuntiavit, *non dabis sanctum tuum videre corruptionem*: ergo corruptionem et dolorem haud expertus est Christus. ℟. Dist. antecedens: prædixit David, Christi corpus ante obitum fore incorruptibile, aut non obnoxium corruptioni, quæ dicitur alterationis ac mortis, n. antecedens; fore incorruptibile post mortem, idest non subjectum iri corruptioni putredinis, c. antecedens. Duplex est corruptio, alia alterationis, ex qua esuries, fatigatio, dolor cæteræque passiones hujusmodi oriuntur, et quam hic B. David non attendit, nec uspiam negat: alia putredinis corruptio est, qua corpus post mortem sua in elementa dissolvitur, et tabe sanieque putrescit. Hoc genus corruptionis juxta magis obviam significationem intendit Regius Vates; atque eam Christo corruptionem rite denegavit, teste D. Petro Act. 2. Id totum explicat atque confirmat Augustinus ep. ad Consentium; scribit enim: *corpus Christi, licet corruptionem putredinis in sepulchro non viderit... clavis tamen et lancea perrumpi potuit.*

Quod si quæras hujus historiæ monimenta, hæc fortasse extiterunt: Tradit idem Nicephorus, si tamen ei fides, D. Lucam reliquisse pictas a se imagines Jesu ac beatissimæ ejus Parentis et Apostolorum: item refertur a multis erecta illi statua ab Hæmorrhoissa; necnon a Damasceno lib. 4 memoratur effigies, quam telæ vultui admotæ impressam misit Abgaro Regi Christus ipse eum sua nolens spe et religione frustrari, postquam pictor missus ab Abgaro, vultus nitore perculsus, diu prohibitus est. Sed de his prolixius Critici disceptent.

Opponunt 2. D. Hilarius cap. 31 in Mat. et in lib. 10 de Trin. n. 23 veros dolores removit a Christo: ergo etc.. ℟. Etsi Hilarium Pictaviensem accusant quidam, quos inter Baronius, Bellarminus, Erasmus atque Scultetus, dum vero quidam, Petavius ac Frassen, eum se Comment. in Psalmos retractasse pronunciant: at plurimi cum S. Thoma Benedictinisque defendunt, nec ipsi unquam Aphthartodocitæ pro se citaverunt. Itaque sanctus Pictavorum Episcopus, cujus libros *inoffenso pede decurri* a quopiam posse, auctor est Hieronymus, agit contra Apollinaristas et Arianos; et a Christo, vel quatenus Deus est, omnem submovet infirmitatem, vel prout est homo, infirmitates arcet nostrarum similes, idest defectibus nævisque permixtas: hosce autem nævos et nos supra removimus. Verum nobiscum fatetur Hilarius Christi languores, dum ait, et sæpe sæpius inculcat: *omnia secundum hominem passus est.... Sed ab eo naturæ suæ virtute suscepta sunt.*

Oggerunt adversus 2 partem Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Origenem, Augustinum aliosque Veteres, qui speciei deformitatem Christo adjudicarunt. 2° ajunt: gloriosius Deo est, si ponatur, Christum sicuti humilitate ac pauperie, ita vili forma et despicabili suam promulgasse doctrinam. ℟. Ad 1um Frassenius reponit, illos Auctores hoc præsertim leviori argumento inductos fuisse ad sic opinandum, quod Isaias dixerit c. 53, *non est species ei, neque decor,* cum is de Christo patiente inter manus hostium sit intelligen-

dus, prout exponit Isaiam Chrysostomus. Alii respondent, eos etiam Scriptores de tempore passionis loquutos esse, aut de humili abjectione, quam Christus toto cursu vitæ præ se tulit; vel negare illos formam oris muliebrem et affectatam, non gravem et cum majestate conjunctam, quæ terret iniquos, quæque tanta affuit in Christo, ut nunquam hi, nisi dum *venit hora eorum,* manus in Jesu injicere auderent. Ad 2um. Nihil detrahitur Dei gloriæ et prædicationi Evangelicæ, quia Christum non speciosum annuntiamus, sed crucifixum; quamvis eum ad se traxisse complures jucundissimo aspectu, et Bernardus scribant et Hieronymus, qui suo calculo nostræ velificantur opinioni.

Jamvero tandem permirum mihi accidat disputanti de humana a Deo assumpta natura, de assumptaque spiritali anima mox in specie disputaturo; si tuæ compendium operæ non putes, mi auditor ac tiro, hoc, quod tibi harum velut in medio rerum obtrudo, compendium adsertionum *fidei* quarumdam, utpote sejunctim hic et articulate enitentium. Divina nempe fide teneamus —

1° Verbum sibi coadunasse in hypostasis unitatem, *impermixte,* naturam humanam, eamque veram essentialiterque perfectam;

II° verum proinde solidumque corpus assumpsisse, prorsus, quoad substantiam, ejusdem cum nostro rationis et materiæ; simulque veram animam, ipsamque rationalem ac propria voluntate præditam ;

III° coagmentatum in Mariæ sinu virgineo, terrenum hinc natumque ex ea corpus, in ejusque animatum utero, sibi fuisse devinctum;

IV° illud etiam corpus, illam et animam inter se quidem unita adsumpsisse, ut una perfecta talem ob unionem humanitas componeretur, efflorescerct.

V.° Cum hæc nostra hucusque fides sit in Scripturis expressa, ex eadem eisdemque infertur gloriosum Christi corpus in cœlo nunc existens tum carne carnisque forma ac lineamentis; tum sanguine ac naturalibus organis ossibusque constare;

VI° tamen gloriosis ista omnia qualitatibus, longe diversis ab iis, quas ante resurrectionem habuerant, præcellentius quam in cæteris resurgentium corporibus, ac generales extra leges naturæ animalis, affici ornarique divinitus.

Quam perbelle, quam perbene quoad duo postrema Augustinus ep. 205 ad Consentium! Cum dicat ibi, *Ego Domini corpus ita in Cœlo esse credo, ut erat in terra, quando ascendit in Cœlum;* hæc item habet ibidem: *Si vestis Israelitarum per tot annos in eremo sine tritura esse potuit, si morticina pellis calceamentorum tamdiu sine labe duravit; potest utique Deus quorumlibet corporum, per quantum voluerit tempus, incorruptam protendere qualitatem.* Quanto id magis atque excellentius in Christo redivivo potuit! Adeatur Ludovicus Le-Grand.

De Anima Christi.

Nos ut superiori cap. dissertavimus adversus incredulos, qui in corpus Christi debacchantur; ita nunc contra eos omnes, qui Christi animam aut auferunt omnino, aut impie dilacerant, alii ejus mentem, alii voluntatem negantes, stylum vertimus, fideique scutum induimus.

Arius enim ejusque discipuli Christo subtraxerunt animam, qua tamen præditus est quisquis homo est, oblaterantes, vices animæ implevisse Verbum corpori substantialiter conjunctum: in quam opinationem abierunt, ut ipsimet Verbo dolores aliasque Christi passiones affingerent, et sic divinitati Verbi facilius insidiarentur. At *Apollinaristæ, quos Apollinarius instituit, dicentes sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse, in quæstione testimoniis evangelicis victi mentem, qua rationalis est anima hominis, non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum Verbum in eo fuisse dixerunt.* Ita in lib. de Hæresibus tradit S. Augustinus, idemque narrat Epiphanius. Qua in re Ariani stultissime erraruntt; alii autem, ut loquitur Augustinus, bruti animam sentientem, non hominis rationalem Deo-homini relinquentes, *abstulerunt Christo rationem, non tenendo rationem.*

Accedunt post sæculi VII initium Monothelitæ; quorum nomen a μονοσ *unus* et θέλησισ *voluntas*, eo-

rum vero duces Cyrus Patriarcha Alex. ac Sergius Patriarca Constantinopolitanus, Pyrrhusque et Paulus Sergii Successores: qui omnes cum suis gregariis in hoc obbrutuerunt, quod Christum Dominum nudaverint humana voluntate, hanc in illo esse inficiantes, in eoque admittentes unam dumtaxat voluntatem, eamque divinam. Similiter inficiati sunt in Christo duplicem volitionem et actionem, atque unam exclusive posuerunt, quam appellabant *Theandricam* seu *Dei-virilem*: pessime disserentes, humanam naturam cum suis potentiis esse tantummodo instrumentum Divinitatis; istam vero, quia erat natura superior, solam operari, et hinc ejus esse operationem omnem.

Hoc abrepti delirio Monothelitæ libertatem quoque voluntatis humanæ Christo pernegarunt. Atque interea monothelismus turbas civit in Dei Ecclesia luctuosissimas. Duæ tunc *Expositiones fidei*, a Sergio et Paulo conscriptæ, quas nominant *Ecthesim* Heraclii ac *Typum* Constantis, editæ et divulgatæ fuerunt; cautumque iis fuit, ne quis aut unam aut duas in Christo voluntates prædicaret. Verum famosa hæc Edicta Eraclii et Constantis Imperatorum, primariosque duces Monothelitarum Martinus Papa in I Lateran. Synodo proscripsit, proscribenti Papæ totique Concilio stimulos addente, sua præpollenti facundia scitissimoque zelo, præter Turritanum *Valentinum, Deodato* nostro Calaritano: eosque tandem ac impietatem eorum, quos inter Honorium Papam accensent nonnulli, anno 680 tertia

Synodus Constantinnpolitana, Gen. VI, sub Papa Agathone religiosoque principe Pogonato Constantino, profligavit. Profligabimus et nos etiam præfatos errores, itemque ideo nec patiemur, voluntatis libertatem a Monothelitis sacrilege tolli Christo Domino, vel a Jansenianis minui et inscite vellicari. Pressim omnia subjectis *propositionibus;* nervose tamen argumenta tractabimus. Sit ergo

PROP. I. Extitit et etiamnum extat in Christo vera anima humana: quam idcirco Verbum mente præditam assumpsit. *Est de fide.*

Prob. 1ª pars ex testimoniis Scripturarum fulgidissimis, quæ Christum esse dicunt verum hominem nostri similem, et inter nos humano more conversatum. Ex iis quoque patet evidenter, ubi Christo nominatim tribuitur anima et quidem distincta a persona Verbi: ait etenim Christus Jo. 10, *animam meam pono pro ovibus meis... ego pono animam meam, ut iterum sumam eam;* aitque Matt. 26, *tristis est anima mea usque ad mortem:* qua in duplici locutione Christi Domini certe ab ejus divinitate, quam nec abjecit unquam, nec tristitia affectam habere unquam poterat, distinguitur anima, quam Christus ipse sponte dimittit, et pridie passionis ad mortem usque tristem fuisse pronunciat: ergo extitit atque extat etiamnum in Christo vera anima humana. Insuper adstipulatur universa Traditio: Concilia, ut vidimus, et naturæ ratio conspirant, ac dementiam percutiunt Arianorum.

2ª pars adversus Appollinarem suadetur evidentissime cum ex eo, quod anima Christi intellexerit, ut Is. 52 præindicatur, *ecce intelliget Servus meus,* Messias; super quem requievit Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, intellectus et consilii: tum ex eo item, quod anima perfectum hominem constituat, nec id anima sine mente et ratione præstet: tum etiam, quod Christus oraverit, oratio autem sit actus mentis humanæ; quod denique passiones humanas expertus sit, gaudium, tristitiam, metum, iram, ordinatas quidem nec ullo pacto effrenes: at ejusmodi passiones sunt rationalis affectiones animæ, quippe ex perceptione boni præsentis vel mali imminentis excitantur: ergo Verbum incarnatum animam mente præditam adsumpsit, simulque iis affectionibus et facultatibus instructam, quæ ex Psychologiæ elementis eam nostræ naturaliter similem ostendunt.

Objiciebant Arius et Appollinarius illud Joannis, *Verbum caro factum est,* in quo illos erroris sui arcem stulte posuisse, notat Angelicus lib. 4 c. Gentes. Ibi nulla fit expressa mentio animæ, aut humanæ mentis: ergo etc.. Respondet inani huic exceptioni S. Augustinus ep. 120: *more suo Scriptura, ut Christi humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen quasi indignum aliquid refugisse videretur, carnem pro homine posuit,* (et hanc ob causam, atque ad Dei potentiam magis ostendendam OEconomia Dei hominis facti vulgo *Incarnatio* potius, quam *Animatio* dici consuevit); *nec enim,* pergit S. Do-

ctor, *quia scriptum est, Videbit omnis caro salutare Dei, animæ ibi non sunt intelligendæ: nihil proinde aliud dictum est, Verbum caro factum est, quam si diceretur, Filius Dei filius hominis factus est.*

PROP. II. Verbum assumpsit voluntatem humanam, ideoque in Christo non una, sed duplex est voluntas: item non unica, sed duplex est volitio et operatio. ***Ad fidem utraque pars attinet.***

Pars 1ª probatur. Etenim voluntas humana Christi ab ejus voluntate divina liquatissime secernitur Jo. c. 5, ubi idem Christus inquit, *Ego non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me;* et c. 6, *descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Ex hisce aliisque similibus eloquiis patet, infuisse Christo voluntatem paternæ voluntati subjectam, quæ non alia fuit, quam humana; quum divina Christi sit eadem ac Patris voluntas et incapax subjectionis: ergo non sola Verbi, sed duplex est in Christo voluntas. Atque ex illis paribusque testimoniis Hippolitus Portuensis, Athanasius, Ambrosius, Augustinus et Leo Magnus, sexcentaque loca a Sophronio collecta hoc dogma tutantur. Id etiam ipsum vulgaris ac obvia e duplici perfecta Christi natura duplicis in illo voluntatis argumentatio commonstrat.

Prob. 2ª pars. Eam probant loca Scripturæ, in quibus affirmatur, Christum Deo Patri obedivisse, ut 2 ad Philippenses, *Christus factus est obedi-*

ens usque ad mortem; et Hebr. 5, *didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam:* enimvero obedientia Christi, ut etiam cæteræ actiones ejus humanæ naturæ, cum bibit, edit, ambulavit, non fuerunt nisi volitio et operatio voluntatis humanæ: sed fuerunt in Christo propriæ etiam operationes voluntatis suæ naturæ divinæ, ut exsuscitatio Lazari et alia, quæ Christus mirabilia perpetravit: ergo etc.. Hæc tandem diserta suppetunt ad totius adserti confirmationem et ad Macarii Monothelitarum celeberrimi refutationem, quæ Patres Synodi VI declaraverunt in Serm. ad Imp. Constantium: *Christum perfectum in Deitate, et perfectum eumdem in humanitate, secundum priscas Patrum Traditiones, et divinam Chalcedone sancitam formulam, prædicamus; et quemadmodum naturas duas percipimus, ita et duas naturales voluntates, et duas naturales operationes agnoscimus... ne earum proprietates naturarum perimentes, etiam naturas pariter perimamus.*

Objiciunt Monothelitæ. In Christo unica est persona: ergo unica voluntas et operatio. Roborant sic argumentum: ex trito axiomate, *actiones sunt suppositorum:* si ergo unicum est in Christo suppositum sive persona, unica est operatio et hinc una tantum voluntas operans in Christo. R. N. consequentiam. Sanam philosophiam et mentem deseruerunt Monothelitæ, qui non videant, unitatem vel multiplicitatem voluntatis et operationum repetendam esse ex unitate vel multiplicita-

te naturæ, neutiquam vero ab unitate vel multiplicitate personæ. In Deo enim, quia unus est in natura, etsi trinus in personis, una trium personarum virtus est, una voluntas et operatio. Itidem puro in homine, quamvis ei insit persona unica, quia tamen plura adsunt naturalia principia, plures existunt et appetitus et operationes: et sic secundum rationalem partem vult, secundum sensitivam irascitur atque concupiscit; et sic mente apprehendit, lingua loquitur, cruribus incedit. Licet ergo una sit Christi persona, cum tamen duæ sint in eo naturæ, erit ille quidem unus volens ac unus operans, verum duæ in eodem essentiales voluntates, duæ respective erunt, divinæ et humanæ naturæ, operationes.

Nil igitur firmitudinis addit argumento illud axioma. Nam præcise sibi vindicat, actiones esse, non elicitive, sed denominative personarum, idest agentem ex actionibus denominari, easque seu in laudem seu in vituperium personis attribui, quarum sunt naturæ agentes; quæ naturæ solæ proprias actiones exerunt, et sunt principium *quo*, ut vocant, elicitivum. Hoc porro cum sit in Christo diversum pro diversitate naturarum; diversæ in Christo naturales operationes adcensentur.

Objiciunt 2. Auctor de *divinis Nominibus*, vulgo Dionys. Areopagita, tradidit, *unam esse in Christo theandricam operationem*: in eoque esse *unam quamdam cognatam operationem*, docuit Cyrillus lib. 4 in Joannem: ergo etc..

℟. Dionysius non *unam* dixit operationem, sed *novam*; et mutatio in scriptione Dionysii facta est fraude Monothelitarum. Sed hac transmissa corruptione, quam quidem iis nebulonibus exprobravit Concilium Later. sub Martino Papa I, adverteratque jam antea Sophronius; etsi dixerit Dionysius, *unam* esse in Christo theandricam operationem, et quanquam in eo posuit etiam Cyrillus unam operationem cognatam: non unam ideo simplicem intellexerunt, sed unam mixtam, quæ scilicet ab utraque natura procedat. In quo sensu, qui dicat *Deivirilem* operationem, eum merito judicavit Martinus papa I *duas significare operationes*: unde quidam Monothelitæ non *theandricam*, prout ille observat, sed unam callidius operationem *Deo–decibilem* ac divinam exprimebant.

Nimirum triplex est genus actionum Christi: aliæ fuerunt, quas Christus ut Deus tantum patrabat, sicuti cum sanavit absens filium Centurionis, hæque *pure divinæ* dicuntur; aliæ autem fuerunt *pure humanæ*, ut ingemiscere, pati, orare et similia, quæ humanæ sunt propria naturæ. Aliæ tandem *mixtæ*, *Dei–viriles* et *Theandricæ* vocantur: fueruntque illæ, quæ, ut dixi, a divina per suam omnipotentiam, et humana Christi natura per suum contactum aut vocem aut insufflationem prodiverunt; hujusceque modi sunt miracula, quæ edebat, cæcis illiniendo restituens oculos, aut solo tactu sistens Hemorrhoissæ pro-

fluvium, sonoque vocis solo mortuos suscitans. *

PROP. III. Christus Dominus in actionibus suis exercendis et in ipsa morte subeunda fuit liber non solum a coactione, ut vult Jansenius, sed etiam a necessitate: hinc, dum erat ipse viator, vere ac proprie meruit.

Prob. 1ª pars. De Christo dixerat Isaias 7 capite Prophetiæ, *ut sciat reprobare malum, et eligere bonum;* et c. 53, *oblatus est, quia ipse voluit:* atque idem Christus Jo. 10 dixit, *Ego pono animam meam... a meipso.* Quocirca Augustinus cum toto cœtu SS. PP. hanc Christi libertatem prædicat sæpius, et Tr. 37 in Jo. *quamdiu voluit,* ait, *inter homines vixit, quando voluit a*

* Ejus utique generis curatio, mortuorum illa exsuscitatio, prout vides, non simplex, sed duplex est operatio, divina et humana, non equidem disjunctæ, sed inter se realiter distinctæ: ideoque ejusmodi actio miscellanea et quidem sola, (licet omnes actiones humanitatis Christi infinitam dignitatem habuerint a persona Verbi, eodemque Verbo dirigente ac movente prodierint, et suppositi ratione divinæ dici possint), a Græcis *Theandrica,* a Latinis *Dei-virilis,* idest Dei-hominis, appellatur. De hac loquutum fuisse Dionysium, nos educet ejus interpres S. Maximus, qui illam responsionem suppeditavit; loquutumque Cyrillum de eadem mixta operatione, quam vocat *unam* et *cognatam* ratione arctissimæ conjunctionis Verbi et humanæ naturæ, monet S. Martinus Papa penes Euthimium.

Ista tene, et, quæ his commentariis indigitantur, recole, ut plura alia dissolvas. De Honorio palam fiet in Dissert. de R. Pontifice, aut eum non adhæsisse Monothelitis, aut tanquam Doctorem privatum, non ut Pontificem ex cathedra loquentem, in suis ad Sergium Litteris a vero deerasse.

carne discessit; hoc est potestatis, non necessitatis. Et rursus illam VI Synodus OEcum. definivit adversus Monothelitas, qui humanam, eamque liberam, voluntatem et operationem a Christo exsufflabant. Ratione comprobatur: etenim Christus suis actibus suaque ipsa morte proprie meruit, uti proxime concludam: atqui ad merendum libertas indifferentiæ seu a simplici necessitate perquiritur ex proscriptione tertiæ Jansenianæ propositionis: ergo etc..

Prob. 2ª pars: ubi meritum *de condigno* respicimus, quod unum vere ac proprie dictum est meritum. Hoc Christo tribuit Scriptura V. et N. Fœderis; ex quo illud est cumulatius ad intentum, quod Paulus ait 2 Philipp., *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.*Id ipsum declamant SS. Patres, necnon oracula Conciliorum. Etiam ratione invictissime evincitur: nam ad meritum de condigno requiritur 1 ex parte operis, ut sit honestum, liberum, præmio proportionatum; 2 ex parte operantis, ut sit Deo carus et viator; 3 ex parte præmiantis, ut ab eodem repromissio habeatur: sed in Christo hæ conditiones affulgent, ne dempta quidem promissione Patris ex Is. 53, *si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum:* ergo Christus, dum erat viator, vere ac proprie meruit. Jamvero meruit non per actus divinæ voluntatis, ut patet; nec per amorem beatificum,

ex communi sententia Theologorum, saltem ut terminatur ad Deum, idest ad summum bonum intuitive cognitum, etsi per illum promeruerit; quatenus tendit ad creaturas: sed meruit, uno verbo, per omnes actus liberos suæ humanitatis. Et quidem a primo meruit instanti suæ conceptionis, quod tenet D. Thomas et communissima aliorum contra paucos, usque ad suæ extremum vitæ; non vero diutius, ultra mortem, de quo nemo unus, inquit Suaresius, addubitare potest sine temeritate. *

Hisce persolutis, ad enodandas implexas maxime difficultates, quæ contra Christi libertatem ex ipsius impeccabilitate et beatifica visione petuntur, quantum per tempus licet, aggredior.

Arguitur 1 adersus 1am partem Propositionis. Christus utpote impeccabilis non poterat eligere malum: ergo carebat indifferentiæ libertate. ℟. Dist. consequens: carebat indifferentiæ libertate, quæ sit contrarietatis, concedo consequentiam;

---

* Promeruit autem sibi gloriam corporis et nominis exaltationem, nobis vero dona gratiæ et gloriæ; atque hæc de fide constant: ac insuper sanctis Angelis gloriam accidentalem, quoddam gaudium videlicet adventitium gloriæ essentiali, quam cum gratia sanctificante ex beneficio Creatoris obtinuerunt. Non item Christus sibi ipsi meruit habitualem gratiam, virtutes infusas, atque animæ gloriam; hæc enim in Christo Jesu non cadunt sub merito, cum connaturaliter ab unione hypostatica procedant. E contra gloriam corporis, exaltationemque nominis, etiamsi erant Christo debitæ ratione unionis hypostaticæ, cum tamen iis aliquando caruerit, nil obest, immo nobilius juxta D. Thomam, quod titulo etiam meriti receperit.

quæ sit tantum contradictionis, nego consequentiam. Christus itaque libertatem *contrarietatis* minime habuit, qua nempe posset bonum et malum perpetrare; nec enim activa hujusmodi indifferentia ad malum pertinet ad essentiam libertatis, cujus immo *defectus est et imperfectio*, ait Angelicus ejusque magnus præceptor Albertus, sed ad statum nudi hominis viatoris: *peccare*, ait prorsus divine S. Anselmus cap. 9 de Fortitudine, *non est libertas nec pars libertatis: peccare est potius non posse, quam posse; quicumque enim facit, quod sibi non expedit, quanto magis hoc potest, tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum.* Attamen habuit libertatem contradictionis, qua videlicet circa bonum posset unum facere vel omittere, præceptumque adimplere uno vel altero seu motivo seu modo; in hoc autem sistit vera notio et natura libertatis, *ideoque in Jesu libera voluntas*, inquit Augustinus, *tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat.*

Verum insistes: Christus Dominus visione Dei intuitiva beatus, et Comprehensor erat: ergo ad amandum Deum non erat liber ne libertate quidem contradictionis. ℟. Non habebat arbitrium liberum, qua Comprehensor erat, et Deum videbat intuitive, concedo; neque erat liber libertate contradictionis, prout erat simul et viator, n. consequentiam. Deus equidem cognitus sive per fidem sive per scientiam infusam et creaturas, quo modo nonnisi ex parte cognoscitur, libere voluntatem attrahit et amatur. Jamvero affirmari po-

test cum Scoto, Valentia, Suarez, elicuisse Christum sæpissime ex directione scientiæ infusæ alios actus amoris Dei, sub diversa formalitate objecti, distinctos ab amore beatifico, a quo nunquam realiter abstrahebat.


Urgent. Etsi Christus fuit etiam viator, circa Dei dilectionem tamen et reliqua naturæ legis objecta, (ex hoc saltem, quod sub ejusdem legis præcepto cadant, nec præcepta utpote impeccabilis violare potuerit), non fuit indifferens ad agendum aut non agendum: ergo etc. ℟. Prætermissis aliquorum responsionibus, ita distinguo: in observatione præceptorum legis naturalis non fuit indifferens, quoad substantiam rei imperatæ, concedo; quoad motivum aliasque circumstantias, n. antecedens. Nam Christus, qui non semper operari tenebatur, quod erat perfectissimum, præcepta legis naturæ potuit hoc vel illo motivo, hoc vel alio tempore, et majori minorive affectu voluntatis adimplere: atque habito sic respectu circumstantiarum, eorum mandatorum observatio fuit libera in Christo et meriti capax. In nobis ipsis revera, si christiane sapimus, morbi, calamitates, licet quoad rem ipsam necessariæ et ineluctabiles; usu tamen, fine, motivo, libera voluntis acceptione liberæ fiunt et meritoriæ: mors etiam Martyrum talis evadit, estque *pretiosa*, quamvis cuique constitutum sit semel mori; quia aut alio mortis genere, aut propter Lutherum vel Mahometum, aut alio fine, loco, tempore suum forte diem obire possent.

Arguunt ultimo. Christus Dominus accepit præceptum *positivum* moriendi : *sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, inquit Jo. 14. Ergo saltem in morte subeunda liber non fuit libertate contradictionis. ℟. N. consequentiam. Quinimmo liberrimus fuit in morte subeunda, non solum quoad circumstantias, sed quoad ipsam mortem in se spectatam : non enim, ait Hieron. in illud pluries laudatum ex 53 Isaiæ, *necessitate crucem, sed voluntate sustinuit;* quod et cæteri Doctores divinique Libri conclamant. Nec derogat Christi libertati præceptum Patris, quamvis istud detrectare non potuit. Nam eo transmisso, quod cum Petavio lib. 9 de Incarn. c. 8 quidam volunt, præceptum illud Patris non fuisse stricte tale, ideoque veram obligationem non induxisse; Christi mors juxta alios præcepta fuit sub conditione, si nempe eam vellet Christus acceptare: juxta alios autem, qui absolute præceptam fuisse concedunt, affuit libera facultas in Christo postulandæ dispensationis. Etenim et ipse dixit Petro, qui Malchi amputarat auriculam, Mat. 20, *an putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* quem et pro Christi libertate locum Maldonatus Calvinistis opponit.

His atque aliis alii viis modisque, quos ad nodum hunc dissolvendum exhibent viginti amplius sententiæ Theologorum, libertatem Christi cum Patris præceptione conciliare conantur. Qui male aut felicius id agant, non hic judicamus. Salebro-

sa conciliatio! At fit equidem; et veram Redemptoris nostri libertatem, nulla necessitate circumscriptam, sacratissima oracula, testimonia Veterum, decreta Synodorum, elucubrationes et vindiciæ Dogmatistarum, omnis auctoritas, omnisque ratio deprædicant et momentosissimam hanc veritatem in vado constituunt. Quæ tamen nos longius persequi non vacat.

Ecce hoc, concludam cum Job c. 4, *ut investigavimus, ita est: quod auditum, mente pertracta.*



SECTIO QUARTA

De Communicatione idiomatum

et Satisfactione Christi.

CAPUT I

De Communicatione idiomatum.

In jam traducta est oratio ad Incarnationis evolvenda consectaria, quæ scilicet ex unione consequuntur divinæ atque humanæ naturæ in hypostasis unitatem. Hæc sunt *Communicatio idiomatum* in Christo ac ejusdem *Satisfactio ;* necnon *Tituli* et *Dona ,* quibus idem Mediator Christus ornatus est.

Principio idiomatum Communicatio *est reciproca attributio inter se duarum Christi naturarum facta,* ut ajunt, *in concreto;* et proprius ac strictius juxta græcum nomen ἰδίωμα, quod latine *proprietatem* significat, *mutua de se prædicatio ac communio proprietatum utriusque naturæ facta itidem in concreto:* ut si dicatur, *Deus est homo, homo est Deus; æternus est natus, natus in tempore æternus est.* Dicitur *facta in concreto,* quia communicatio idiomatum locum habet tantum, prout illico constabit, si prædicatio fiat in termi-

nis, qui *concreti* vocantur, quatenus significata ab his idea e subjecto et forma veluti concrescit atque componitur, hæcque simul exprimuntur: ita se habent concreta substantiva, *Deus, homo,* namque *Deus* sonat idem ac *habens divinitatem,* et *homo* idipsum ac *habens humanitatem;* et sic concreta nomina adjectiva, *patibilis, immortalis.* Non autem locum obtinet ullo modo, si fiat prædicatio abstractis in terminis, qui formam solummodo significant, quam exhibent velut abstractam et sejunctam a subjecto, in quo residet: unde dici non posset, *deitas est humanitas,* vel *humanitas est divinitas;* sed oportet enunciari, *Deus est homo, homo est Deus,* ita rite videlicet in concreto.

His in antecessum majoris claritatis ergo dilucidatis, cum contra Nestorianos profiteamur in Christo unam personam, in qua duæ naturæ conjunguntur, idest unum Deum-hominem, suo ut loco vidimus; modo adversus hunc gregem, toto calle veritatis errantem, eam tuebimur *idiomatum Communicationem,* quam respectu personæ aut *in concreto* fieri recte posse, Nestorius et Nestoriani negant.

Cumque adversus Eutychem naturas duas fateamur a se mutuo discretas et impermixtas; Eutychianos etiam adoriemur, qui unius naturæ attributa transferentes in alteram eadem alteri communia faciunt, et communionem naturarum aut proprietatum Christi *formalem,* non communicationem in concreto, defensant. His autem visco propriæ perversitatis adglutinantur ex

secta Lutheranorum David Chytræus, Johannes Widangus, Joannesque præsertim Brentius aliique nonnulli, qui trinam naturæ divinæ proprietatem, omniscientiam, omnipotentiam, omnipræsentiam aut immensitatem, in Christi humanam naturam transfusas fuisse pertendunt, ita ut ejus humanitas dicenda sit, quod sit *ubique*. Quapropter *Ubiquitarii* ab eadem, quam irrito conatu venditàrunt, *ubiquitatis* fabella denominantur. Quod verum est, præfiniet sequens theorema fidei: theorema aliud istiusmodi errata displodet.

PROP. I. Datur, et contra Nestorianos admitti debet in Christo vera communicatio idiomatum in concreto, idest ratione unius ejusdemque personalitatis, in qua duplex natura subsistit.

Prob. 1 e Sacris Literis. Eæ enim frequentissime Christo homini tribuunt, quæ divinitati proprie conveniunt, et Christo Deo, quæ solum sunt propria humanitatis: atqui in hoc posita est communicatio idiomatum in concreto et ratione personæ: ergo etc.. Prima pars majoris educitur ex Jo. c. 3–13, in quo Christus inquit, *nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, filius hominis, qui est in Cœlo;* similiter ex c. 8–58, in quo ipse Christus ait, *antequam Abraham fieret, ego sum:* his scilicet in locis, ea quæ soli divinitati conveniunt, Christo homini attribuuntur, idest de Cœlo *descensus* et, dum adhuc Christus esset in terra, *existentia* in Cœlis, necnon item *æternitas,* qua ante Abrahamum ex-

istens adseveratur. Alterum membrum majoris elucet ex locis aliis innumeris, in quibus Filius Dei dicitur *factus de semine David*, diciturque *Dominus gloriæ crucifixus*, et *Auctor vitæ interfectus*: ubi quidem temporanea nativitas, crucifixio, mors, quæ humanitatis sunt propria solius, Christo Deo tamen in concreto aut ratione personalitatis appropriantur. Ergo admitti debet etc..

Prob. 2° ex auctoritate omnium SS. Patrum, qui hanc in Christo communicationem rite fieri ac dari revera, unanimi assensu confirmant ex contextu et modo loquendi Scripturarum. Audiatur unus Leo M., qui sanctissimus Ecclesiæ Pastor et Doctor epist. ad Flavianum, hujusce sacri dogmatis communicationisve idiomatum rationem afferens, ait: *propter unitatem personæ in utraque natura intelligendam, et filius hominis legitur descendisse de Cœlo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine, de qua est natus, assumpserit; et rursus Filius Dei crucifixus ac sepultus, cum hæc non in divinitate ipsa .... sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus, unde Unigenitum Filium Dei crucifixum et sepultum omnes etiam in symbolo confitemur, secundum illud Apostoli,* ad Corinth., *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Prob. ac illustratur 3° hominis exemplo. Rectissime dici potest, *homo est corporeus, homo spiritualis est*, itemque *rationalis sive spiritualis est corporeus* et vice versa; eo quod hæ duæ prædicationes efferunt nil aliud, quam si diceretur:

eadem persona hominis ob corpoream substantiam corporalis est, estque spiritalis ob spiritualem, quæ cum altera in una hominis personalitate copulatur. Ergo consimiliter de Christo enunciari perquam recte potest in concreto, *Deus est homo*, et *homo Deus est; Deus est natus ac mortuus*, *homo est æternus, immortalis:* propterea quod voces, *homo, Deus*, non pro natura abstractive sumuntur, sed pro persona, in qua duæ distinctæ naturæ, distinctis hinc inde proprietatibus affectæ, subsistunt.

PROP. II. Nequit autem admitti Communicatio idiomatum in abstracto. ***Scitum est fidei contra Eutychianos et Ubiquistas.***

Prob. 1° generatim isto vulgari ratiocinio. Cum enunciatio non sit nisi affirmatio aut negatio identitatis objecti unius de alio; fit consequens, affirmanter enunciari de se mutuo non posse, quæ realiter a se mutuo distinguuntur, ni in aliquo uniantur communi subjecto: atqui divina et humana natura in Christo earumque proprietates, quando sumuntur in abstracto, reapse discriminantur, nec in ullo communi subjecto aut supposito consociantur: ergo divinitas et humanitas ac proprietates earum sic in abstracto sumptæ de se prædicari, nisi contra fidem atque insulse, mutuo non possunt. *Non enim passibilem*, inquit Damascenus in 3 de Fide, *aut creatam Deitatem dicimus,... neque carnem sive humanitatem increatam appellamus.*

vet omnino, ne nomina illa concreta suppositum creatum importent in Christo. Namque licet catholico cum SS. Athanasio et Augustino accipi sensu valeat, Nestoriana hæc est adseveratio, *homo factus est Deus ;* quia innuit personam hominis antea esse creatam, deinceps assumptam a persona Filii Dei : verum catholica est hujusmodi, *Deus factus est homo*, cum τω *Deus* exprimat personam increatam, quæ reapse humanitatem sibi hypostatice conjunxit.

III° animadvertunt, abstinendum ab iis locutionibus, quæ tametsi in se veræ, videntur errori tamen alicui patrocinari, hæresisque promovendæ adjumento esse queunt : proinde locutio hæc, aliquando a D. Ambrosio et a Leone Papa aliisque Patribus usurpata, *Christus est creatura*, efferri debet, docente D. Thoma 3 p. q. 16 a. 8, non ita simpliciter, sed hoc alio pacto, *Christus, prout est homo, creatura est ;* ut sic non velificari videamur Arianis, qui Christum, ex eo quod creatura diceretur, absolute inferiorem Patre dícebant. Ita prorsus ex D. Thoma propter periculum erroris Arianorum non sine temperamento dicendum, *hic homo*, demonstrato Christo, *incepit esse;* cui nimirum addas, *secundum humanitatem*, ut caste simul et caute proloquaris. Multo etiam magis abstinendum ab illa prædicatione, *Christus est homo dominicus, homo Deifer*, etsi quondam SS. Patres eidem affricaverint orthodoxum intellectum: nam illa postmodum frequens erat ac blasphema in ore Nestorianorum; et præterea concreta hæc adjectiva, utpote deri-

vata, participationem solummodo aliquam significantia, *Dominicus* atque *Deifer*, unionem tantum moralem videntur exprimere, nec Dominum atque Deum, sed ad Dominum spectantem Deique bajulum, grammatice significant, hæretico et sensui venenoque animis aspergendo idoneæ sunt valde.

Exerceberis ultra in duplicis solutione difficultatis. 1ª est, an possit Christus appellari *Dei servus?* ℟. Non posse, tradiderunt PP. Francfordienses et non pauci Scholasticorum: posse autem dici, plures SS. Doctores, Thomistica et subtilis Schola docent. Duplex hic distinguenda servitus: *naturalis* una seu generalis est, per quam quis juxta naturæ legem submittitur alteri, et ad eam conditio spectat, qua filii nondum emancipati parentibus subjiciuntur, et in primis subjectio, qua universæ creaturæ ita sunt sub Dei dominatu, ut ei deserviant ad nutum. Altera *legalis* et despotica, quæ lege, non prima institutione naturæ, fuit invecta, definitur §. 2 Inst. de Jure Pers. *constitutio Juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur;* ad quam speciem servitutis illa redigitur, qua homo per peccatum subditur Dæmoni, et a qua per gratiam Christi liberatur. Affirmamus itaque, Christum dici posse *servum* late et improprie, *servitute naturali,* non ratione personæ, sed quia ratione humanæ naturæ Deo subjectus erat: at congruum magis et religiosum post inductas hæreses, ac Redemptori nobilius, si eum nos *servum* sic absolute et simpliciter non appellemus. Nequit autem

ullo modo servus dici *necessitate*, quoniam persona Verbi formam servi sponte suscepit: et quia Christus est Filius Dei naturalis, nequit etiam dici servus *servili conditione*, idest *servitute legali et servitute peccati*, quo sensu renuunt PP. Francfordienses, contra Felicis atque Elipandi blasphemias. Sic variorum asserta conciliantur.

Exercitatio II. Investigatur, num probanda sit celebris sententia, *unus de Trinitate passus et mortuus est?* ac brevissime respondeo. Constantinopolitanus Antistes S. Proclus, Nestorianorum malleus, suis in scriptis adseruit, *unum de Trinitate incarnatum eumdemque crucifixum*, quin Catholicus quisque reclamaret. His sano intellectu prolatis male usus est antiocheni Episcopatus invasor, Eutychianus homo, Petrus Gnaphæus seu Fullo, Orientalis Ecclesiæ trisagio, quod totam ad Triadem vel solum ad Christum referri potest, verba etiam addens hæc, *qui passus est pro nobis*, ut indicaret, passum Verbum in ipsa divinitate. Posthac Scythæ quidam Monachi insolenter ac seditiose contenderunt, addendum esse fidei professioni Synodi Chalcedonensis, *unus de Trinitate passus est*, quasi manca sine hoc additamento perstaret: eos autem coërcuit Hormisdas.

Itaque sanctus hic et summus Hierarcha, non velut hæreticam aut erroneam perstrinxit istiusmodi propositionem; sed Monachorum Scythiæ pertinaciam additionisque prætensionem novitatemque locutionis hujusce repressit, exprobravit. Ante vero eumdem Hormisdam, Felix III in sen-

su Fullonis hanc sententiam rejecit; non in obvia significatione, in qua catholice audit, et in qua illam merito, primus quæstionem definiens, Joannes II, ejusque successor Agapetus aliique comprobaverunt.

CAPUT II

De vera Christi Satisfactione.

Faustus Socinus patritius Senensis e notissima Jurisconsultis familia, et a 23 ad 35 circiter ætatis annum aulicus Magni Ducis Thusciæ, impius dein præcursor Antichristi, cum fuisset venenatorum hæres simul et helluo librorum Lælii Socini ejus patrui, inde omne virus ebibit, quod vetustarum hæreseon fæcibus immixtum, sæculo XVI in Polonia præsertim, ut erat subtilis Sophista, totum propinavit incautis. Hi sunt Sociniani pestium omnium hæreticarum pestilentissimi Hæretici, qui nomen *fratrum Polonorum* sibi in celebri Bibliotheca vindicarunt obtinueruntque; et inter quos Valentinus Smaltius, Johannes Crellius et aliæ perimmanes belluæ connumerantur: quas vero Heterodoxi quoque, Zanchius, Placæus aliique proculcarunt.

Nequissime dogmatizant, Christum Jesum, quem purum putumque hominem autumant, non esse personam tantæ dignitatis, ut posset Deo pro alienis peccatis exhibere satisfactionem; et eum de facto pro nobis vere ac proprie non satisfe-

cisse eo sensu Catholicorum, quod pœnæ, quas pertulit, essent veluti pretium nostræ redemptionis, in quod debita nobis supplicia commutarentur. Nam ponunt, ut sic satisfieret, non fuisse necessarium, Patremque Æternum beneficentissima misericordia, sine ullo ad passionem Christi respectu, peccata omnia iis dimittere, qui credunt in eum. Quæ dum ita confingunt, improprie tantum ac metaphorice Christum pro hominibus satisfecisse, dicunt; fatenturque, nostrum esse Redemptorem, sed quatenus scelerum nostrorum veniam gratis obtinuerit, et doctrina atque vitæ exemplo *salutis æternæ viam,* ait Faustus, *nobis annunciavit, confirmavit, et ostendit.*

E diametro stant Catholici omnes, docentque, satisfecisse Christum pro offensis hominum vere ac proprie, et nos interveniente sui pretio sanguinis fuisse redemptos; idest effuso sanguine datoque pretiosissimo hoc sanguinis lytro a Dæmonis captivitate reductos, in filiorum Dei sortem ac libertatem adsertos, in æterni regni hæreditatem ac possessionem adscitos.

Nonnulli tamen e Catholicis, salva fide, Scotus, Durandus, Vasquesius aliique, Christi satisfactionem, etsi ex sana fide fateantur esse de facto et veram et condignam et sufficientem et superabundantem, talem fuisse negant e stricta justitia, *ex se* et ab intrinseco nimirum; cum contendant, justitiæ hujusmodi plures deesse conditiones in satisfactione, quam Christus impendit: e contra fuisse in sui etiam excessu ad strictos exactam

juris apices, cuncti Thomistæ et Augustinenses ac illustris Sylvius, Du-Hamel, Witasse cæterique defensant. Sit hinc

PROP. I. Christus Dominus vere et proprie, non metaphorice, pro redimendis hominibus divinæ justitiæ satisfecit. ***Est de fide contra Socinianos; qui cum Gentilibus, Judæis, Ebionitis Christi Jesu satisfactionem, et cum Pelagianis tanti etiam beneficii necessitatem ingratissime negant.***

Prob. ex uberrimo fonte Scripturarum. Ille veram propriamque satisfactionem pro nobis exhibuit, quem Pater, nolens per solam condonationem dimittere peccata, pœnis peccato debitis oneravit; qui easdem in se suscipiens, illas loco nostri vera in locum nostrum substitutione persolvit; qui sui sanguinis soluto pretio, cum essemus captivi sub diabolo et filii vindictæ, nos a servitute redemit, factusque hostia salutaris Numini adversum nos irato reconciliavit: atqui hæc de Christo verificantur: ergo vere Christus et proprie pro redimendis hominibus divinæ justitiæ satisfecit.

Minor propositio per partes ostenditur hisce testimoniis. Primo habetur Is. 53: *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum;* profecto, ut Paulus ait, *ad ostensionem justitiæ suæ.* Et ad Rom. 8: *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Secundo ad Galatas c. 3 hoc extat invictissimum: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro*

nobis maledictum; idest, ait Augustinus, *suscepit Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum.* Hinc ex laudato ad Rom. 8, *cum adhuc peccatores essemus... pro nobis mortuus est.* Tertio demum Princeps Apostolorum Ep. 1 c. 1 : *non corruptibilibus auro et argento redempti estis.... sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, et incontaminati;* scilicet, inquit Paulus, *empti estis pretio magno :* sic ergo, *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus,* ait idem Paulus 5 ad Rom., quod et pluries insinuat. His itaque probavi, quod probandum erat. * Num tenebriones in hæc et sexcenta similia suas jactabunt technas gerrasque siculas ? Si tota redemptio in sola doctrina et exemplis Christi consistat, cur expressiones tam vivæ Scripturarum ? Cur non et Prophetæ, Apostoli, Martyres ob exempla virtutum ac doctrinæ prædicationem suo sanguine consignatam pro nobis mortui dicuntur ? Numquid persecutorem olim Paulum sanasse redemisseque mortuusve pro eo dicitur Stepha-

---

* *Empti estis,* inquiebat Apostolus, *pretio magno,* græce, ἠγοράςθητε γαρ τιμῆς : ubi quod habetur, ἠγοράσθητε, se solo significat emptionem factam soluto pretio; unde τιμῆς indicat non modo pretium, sed pretii magnitudinem. Ita λύτρωςισ veram redemptionem, ac λύτρον pretium pro captivi redemptione persolutum Græcis in fontibus proprie significat: etsi tamen hæc neget, immo et Verbi Incarnationem impio moliminе eradicare pertentet impiissimum, et ipsum vere totius Ecclesiæ fulminibus eradicatum, Steinbarti *Systema* Socinianum.

nus, confectus qui lapidibus atque livoribus oravit pro eodem illo cæterisque persecutoribus? Dicitur autem, *unus pro omnibus mortuus* Jesus, et nos *livore ejus sanatos esse* dicimur: Christus igitur vere et proprie, vera satisfactione depensa, non figurate pro redimendis hominibus divinæ justitiæ satisfecit.

Probari facile posset hoc ipsum concordi testimonio Patrum Græcorum Latinorumque, jam a Grotio productorum adversus *Socinum;* quorum una et eadem est phrasis tam vehemens et energica, ut inde pateat, non secus ac ex citatis divini Verbi testimoniis, Christum Dominum ὑπὲρ ἡμῶν *pro nobis* sese litasse, se obtulisse in sacrificium, quo Æternus Pater expiari voluit mundi delicta; et *pro nobis* soluto pretio sui sanguinis vere proprieque satisfecisse: idque juxta vim vocis ὑπὲρ aut *pro* vel alterius similis, quæ ut veram subrogationem, ita Christum vere et proprie in locum nostri suffectum fuisse significat. Probari hæc, inquam, Traditione possent; sed Fratres Poloni lumen vocemque Traditionis, quam cum cæteris Crellius Socinianis sibi fatetur adversam, aspernantur; dum in Scripturam quoque, non interpretationes edunt, sed portenta, sed monstra, et quosdam interea lucifugas, a fidelium gremio dejectos, suorum versa vice Majorum nomine reverentur.

PROP. II. Satisfactio J. C. non ex sola Dei acceptantis liberalitate, sed ex sese perfecta fuit et æqualis injuriæ compensandæ, immo plenior et superabun-

dans: alias etiam præter hanc æqualitatem conditiones habuit exactæ satisfactionis. *Est communis sententia Theologorum.*

Prob. 1ª pars e Scriptura divina, sanctis PP. et palmari ratione. De Christo ait Paulus ad Rom. c. 3: *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ.* Ait item c. 5: *ut sicut regnavit peccacatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam.* Atque antea immediate dixit: *non sicut delictum ita et donum... ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Dixerat quoque David: *copiosa apud eum redemptio.* Porro in his satisfactio Christi dicitur in ostensionem justitiæ Dei, et facta per justitiam, nec ad delicti mensuram, sed excedens et superabundans: ea igitur redolent satisfactionem, citra liberalem alicujus partis debiti condonationem, ex sese condignam, et supra rigorem justitiæ copiosam. — Ad hæc: quod voluit Salvator superare diabolum non potentia sed justitia, plerique post Augustinum SS. Patres annotarunt. Chrysostomus autem in caput 5 ad Rom. inquit: *multò plura, quam debebamus rependit Christus, ac tanto plura, quanto mare immensum ad stillam aquæ collatum majus esse possit.* Ubi perspice solutionem debiti ex sese perfectam, necnon adeo redundantem J. C. satisfactionem. Quod Theologi ratione constabiliunt, quam VI Clemens adducit. Scribit ille in Extrav. *Unigenitus,* quod gutta sanguinis Christi modica pro universi libe-

ratione orbis suffecisset, non quia supponitur acceptatio divina, ut quidam exponunt inepte verba Clementis, sed, ait ipse, *propter unionem ad Verbum:* et tamen suum, inquit, cruorem pretiosissimum *copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse.* Ergo etc.. *

Prob. 2ª p. reliquas assignando conditiones. Satisfactio Christi fuit non solum *libera,* quatenus liberrime volens semetipsum obtulit in mortem, ac tradidit in pretium: sed etiam, utut Suares et Vasquez argutentur, fuit *ex propriis;* quia, tanquam vas et sponsor nostra debita expungens, satisfecit ex actionibus, quæ immediate manarunt ab humanitate, quæ in Christo translata est ad jus proprium suæ divinæ personæ independentis: et hoc propterea intuitu actiones ipsæ satisfactoriæ, quibus sese tot saturari voluit opprobriis ac tot affici Trinitatem obsequiis, sub proprio dominio fuerunt suæ item personæ divinæ. Hinc ea satisfactio fuit quoque *ex alias indebitis,* quate-

* Scilicet, valor satisfactionis æstimatur ex dignitate personæ satisfacientis, quæ est principium *quod,* immo et pars illius sub illo respectu; nam seipsam dat in pretium, et ipsa se humiliat: verum persona Christi est simpliciter infinita: quare et ejus satisfactio est simpliciter infiniti valoris, quum peccati malitia extrinsece tantum sit infinita. Ergo satisfactio J. C. non ex sola Dei acceptantis etc.. Consulite Angelicum Doctorem 3 p. q. 48 a. 2, ubi alia ad hæc confert et angelice versat; unde etiam respuatis aliam ideo Scotistarum opinationem, quod satisfactio Christi haud fuerit, in genere moris, *simpliciter* infiniti valoris. Qualis ei persona valorem indidit? ipsamet divini Verbi: ergo indidit, ut dixi, infinita infinitum, divina divinum!

nus ipsa divina persona nemini quidpiam absolute debebat: eademque demum satisfactio fuit *ad alterum,* quoniam Deo fuit simplicissimo exhibita ab eo, qui simul est Deus et homo. Ergo nedum fuit æquivalens atque transcendens, (unde dimanat, non potuisse Deum, tanti Fidejussoris non acceptare satisfactionem, postquam semel liberali munificentia ipsum dedit in vadem), cæteras etiam strictæ exactæque justitiæ conditiones habuit.

OBJECTA solvuntur. Adversus primam thesim 1° objiciunt Sociniani. Christus, ut testantur eloquia Scripturæ, annuntiavit viam salutis æternæ, præbuit exempla virtutum, novum fœdus sancivit, omnia morte et resurrectione consignavit: ergo tali dumtaxat improprio sensu est Servator hominum. ℟. N. consequentiam hanc futilem, acutissimis dialecticis Socino ejusque amasiis indignam. Quid nunc boni reliquum erit eisdem? non apostolica traditio, quam spernunt; non philosophica ratiocinatio, quam fœdant; non prophetica scriptio, quam aut distorquent aut calcant: nam neque divinam se auditurum esse Scripturam, non huic se dogmati, quod versamur, assensurum, Socinus audacissime scribit: *ego quidem nec si ubique clarissimis verbis testatum reperirem, sic tamen rem se habere, mihi compertum esset.* Lubenter autem nos admittimus, fuisse directa ad nostram instructionem et salutem, quæcumque Christus egit in toto cursu vitæ suæ: sed non

ideo expulsanda vera satisfactio, qua *novi Testamenti mediator, Jesus,* humanum genus tam grandi redemit soluto pretio sanguinis necisque cruentæ; cujus quidem, a se jam factæ, redemptionis fidem sua dein resurrectione confirmavit.

Urgent. Nos in 3 ad Rom. dicimur a Deo *justificati gratis per gratiam ipsius;* qui item in Scripturis prædicatur ad peccata gratis condonanda promptissimus, semel ac peccator veniam pœnitentia ductus efflagitet: ergo, nisi lato et improprio modo sumatur Christi redemptio, hæc infinitæ misericordiæ derogaret. ℟. N. consequentiam. Dum superbe et curiose *Dei magnalia* scrutantur, en ut Sociniani *oppressos a gloria majestatis* sponteque cæcos se prodant. Dei nostri gratia atque infinita misericordia nullatenus imminuitur, ast magis magisque commendatur per hoc sane, quod Deus gratuito liberavit nos ab onere condignæ satisfactionis, et Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit in vadimonium; ita ut per hujus merita, ex ipsius Dei gratia, remissionem peccatorum sincera pœnitentia consequamur. In hac quidem dispensatione misericordia Dei non pessumdedit, nec amovit justitiam; sed divine prorsus *misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt.* Unde utrumque sic colligavit Apostolus: *justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu;* nam, o sapiens, admirabilis œconomia! *proprium ipse Filium pretium redemptionis pro nobis dedit,* inquit Justinus epist. ad Diognetum. At-

que ita corruit præcipua objectio Socinianorum; quos tu ostendens *fabricatores mendacii et cultores perversorum dogmatum*, eosdem sic Jobi eloquio carpas: *numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?*

Obsistunt. Iniquum est, innocentem, qualis est Christus Jesus, pro reo puniri: ergo justitia Dei, ut sibi satisfieret, velle non potuit Jesu Christi substitutionem ac mortem. ℟. Dist. antecedens: si innocens iste sit fidejussor, qui talis et lubens et legitima auctoritate constituatur, uti evidens est in Christo, in quo, ipso se offerente, *posuit Dominus iniquitatem omnium nostrum*, in quem ideo peccata hominum quoad pœnas translata censentur, nego antecedens; si non sit vas et sponsor, aut humana auctoritate trahatur in locum sontis ad supplicium, ubi præsertim gravissima sequantur incommoda, c. antecedens. Deus equidem legem fixit judicibus Exodi 24, *non occidentur patres pro filiis, neque filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur;* neque homines innocentes jus habent profundendi vitam pro iniquis, nisi fortasse ex illa charitate, qua *bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Ast, præter allatas Christum juste substituendi conditiones, ea lege non alligatur justitia Supremi Dominatoris; qui, unum pro alio identidem substituens, Chanaan maledictioni subjecit ob noxam Cham filii Noe, et ob peccatum Davidicum peste e vivis subtraxit septuaginta hominum millia, et sic in temporalibus aut in corporalibus *for-*

tis, zelotes, justus visitat iniquitatem Patrum in filios in tertiam et quartam generationem, ut ibidem c. 20 Deus ipse protestatur.


Objic. 4. Is vere et proprie non satisfecit pro peccatis hominum, qui non solvit omne debitum, seu totam pœnam non subivit, cui subjiciebantur: atqui homines subjiciebantur æternæ morti, nec Christus mortem sustinuit æternam: ergo etc.. ℟. Dist. minorem: mortem non oppetiit æternam, spectata hujus infinita duratione, concedo; non subiit mortem ac pœnam, attento valore ejusdem infinito, sempiternæ prorsus æquivalentem, n. minorem. Satisfactio est redditio rei æquivalentis, non vero prorsus ejusdem. Quamvis itaque mors Christi temporaria fuit physice: at æstimanda tamen est propter infinitam personæ dignitatem, in quantum caro Dei erat, quæ pependit in ligno, quoad pretium valoremque personalem moraliter infinita, et æternæ hominum punitioni coæqualis aut æquivalens; idest plusquam sufficiens ad compensandum pœnas infinitas in duratione, et adducendum universos homines in sempiternæ et beatæ vitæ fruitionem.

Dices in 2am thesim. S. Paulus ad Coloss. c. 1 scripsit: *adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea:* si ergo aliquid deest, perfecta non fuit atque redundans satisfactio, quam Christus exsolvit. ℟. Dist. consequens: si quid desit ex parte sui ratione valoris, c. consequentiam; si ex parte alterius, n. consequentiam. Verba Pauli, ait Angelicus in hunc locum, juxta superficiem ma-

lum habere possunt intellectum, quod videlicet passio Christi non esset sufficiens ad redemptionem; *sed hoc est hæreticum,* quia Christi sanguis, inquit, ad redemptionem multorum etiam mundorum sufficiens est. Itaque ex eodem Præceptore, licet passio aut satisfactio Christi fuerit in se completa et superabundans, ut S. etiam Bernardus scribit et Petrus Cluniacensis: cum tamen Deus eam, quoad ejusdem pro nobis effecta, non aliter acceptaverit, nec eam Christus acceptari voluerit, quam sub conditione applicationis eorumdem faciendæ nobis per bona nostra opera, per gratiam Salvatoris elicita; necessum est, ut singulis Christi membris applicentur actu, ideoque multa nobis, quidquid Calvinistæ novatores effutiant, facienda et patienda supersunt. Hæc ex parte sui Paulus sua in carne adimplebat per privatas satisfactiones et exercitamenta virtutum, quibus satisfactio J. C. pretium indit ac meritum; sicut Sess. 14 cap. 8 PP. Tridentini perlustrant.

Dices ultimo. Christus satisfecit in quantum erat homo: omnia autem, quæ Christus habuit ut homo, erant sub Dei dominio ac Deo debita: non ergo satisfecit *ex propriis* bonis et *indebitis.* Vel si non satisfecit ut homo, igitur ut Deus Deo satisfecit: ergo ejus satisfactio non fuit *ad alterum,* sed ad ipsum. Fugiens fumum, offendis in ignem. ℟. Fumus et ignis absunt, ac omnis evanescit caligo diffcultatis, si ad utrumque ita distinguas: Christus satisfecit ut homo tantum, aut tantum ut Deus, hoc nego; quatenus Deus simul et ho-

mo, concedo. Etsi igitur actiones elicitæ ab humanitate Christi, tanquam principio *quo*, secundum entitatem physicam finitæ et sub Dei dominio fuerint, Deoque obstrictæ titulo religionis et grati animi, seu charitatis et obedientiæ: verumtamen infinitæ et Christi propriæ fuerunt, et quovis solutæ debito secundum valorem, ut appellant, *substantialem* aut personalem, juxta hunc nempe valorem infinitum, qualem penitus in se derivarunt a suo principio *quod;* scilicet a persona Dei Verbi, quæ corpus ac animam, vitam ac beneficia gratiarum Christi sibi vindicavit in proprietatem. Itidem ex eo, quod Christus ut Deus homo satisfecit, satisfactio fuit ad alterum, non solum prout exhibita Patri et Spiritui S., qui in personis realiter a persona Verbi distinguuntur; sed etiam ut præstita Deo Verbo, quod in se subsistens virtualiter distinguitur a seipso, prout in humanitate subsistit. An ergo, qui sic respondeat seque ita contutetur, *fugiet arma,* prout in Jobo, *et irruet in arcum æreum ?*



SECTIO QUINTA

De Christi Titulis ac Donis ex hypostatica unione consectariis.

CAPUT I

De Variis Christi Titulis et Officiis eorum.

Inter insignia varia et officia, quibus sponsor noster Jesus condecoratur, 1° illud simul insigne et officium censetur excellentius, quo verus est *Redemptor* ac Salvator hominum, juxta mox dicta adversus perditissimos Socinianos, quos Lutherani etiam et Calvinistæ devovent et execrantur. 2° ex hac dignitate atque officio Redemptoris alter innotescit titulus propriumque hujus officium, quo nempe Christus dicitur *Mediator*, idest pacis sequester ac medius inter dissidentes; inquit enim Apostolus ad Tim. c. 2, *unus Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ipse ergo non solum est Mediator tanquam interpres divinæ voluntatis apud homines, nec solum tanquam orator et supplex; ut reapse, in forma servi, ceu noster advocatus supplicavit in suæ

mortalis vitæ decursu, *pernoctans in oratione Dei*, et nunc quoque ad dexteram Dei sedens *interpellat pro nobis*, tacite quidem repræsentando sanctissimam Patri humanitatem, quam pro hominibus assumpsit, expresse iterum poscens a Patre, quæ nostræ saluti prospiciunt: non, inquam, hoc pacto tantum, *secundum quid ac imperfecte*, Mediator est, uti se habent secundarii Mediatores, Prophetæ et Sacerdotes ac Sancti, qui Deum mediate per Christum interpellant; sed insuper perfecte et immediate, utut Socinus infrendeat, omne lytrum pretiumque solvendo, Mediator existit offensum Numen inter et offendentes. Atque ita prout Deus et homo peculiari titulo Mediatoris insignitur. Omnia hæc postrema ac superiora ex sese lucent, ex dictis adstruuntur, et sacratiori auctoritate firmantur. *

Ab hac Christi mediatione 1° consequitur ejus Regia et Judiciaria potestas. Sicut enim existit, tanquam Deus et homo, *Rex Judæorum* univer-

* Est utique Christus ejus modi *Mediator*: non autem est secundum divinam solummodo naturam, quod tamen docuit Andreas Osiander Lutheri discipulus; neque tantum juxta naturam humanam quasi a Verbo præcisam, quod, oppugnaturus Osiandrum, affirmavit Stancarus Mantuæ Lutheranus; neque secundum humanam et divinam, velut duplex principium formale, juxta quod Christum Mediatoris officio perfunctum fuisse, contra Stancarum Calvinus edocuit. Sed est Mediator ut Deus quidem et homo; at ex humana natura solum, tanquam a principio *quo* materiam præbente satisfactionis, prodiverunt Mediatoris opera, quæ a persona Verbi exequentis, quæ propria erant humanitatis, suum valorem dignitatemque percipiebant. Ea est omnium sententia Catholicorum.

sorumque hominum uti *Princeps Regum terræ,* potitus spiritali regno, ex quo potuit utpote Legislator et Rex instituere Sacramenta, ferre leges, et creare Ecclesiæ Magistratus, omnesque homines ad morem gerendum adigere: ita pariter *constitutus est a Deo Judex vivorum et mortuorum,* nullo dempto ex hominibus; in quos quidem suum hoc judicis officium exercet, nam ait Apost. Gentium, *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Sed de his nulla difficultas. Audi interea Tridentinum Sess. 6 can. 21 : *si quis dixerit, Ch. Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant; anathema sit.* 2° fluit ex eodem illo Mediatoris officio Christi *Sacerdotium* hujusque magisterium, et munus cum his *propheticum:* fidem enimvero faciunt divinam afflati divinitus Scriptores, Magistrum maximumque Prophetam, ac vere Sacerdotem aut Pontificem esse Christum, utpote qui universa munia veri Doctoris et Prophetæ ac Sacerdotis explevit; qualia præsertim sunt populos docere Dei legem, eis prænuntiare futura, eorumque ad Deum preces ac vota perferre et pro ipsis orare, atque illud maxime, quo is, a Deo constitutus, offert sacrificia pro peccatis. Unde Christus, qui ex 5 ad Hebr. *non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret,* præter alia Sacerdotis officia, ex 5 etiam ad Eph. *tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Est vero,

prout homo hypostatice unitus Dei Verbo, *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, ait Regius Psalmographus, quem de Christo Paulus interpretatur. *

Postremo denominatur, ac vere est, prout homo, *Prædestinatus* ab æterno, videlicet tum ad filiationem Dei naturalem, ex primo ad Rom., ubi dicitur, *qui prædestinatus est Filius Dei in virtute*, ut nempe juxta textum hunc Latinum ac Latinos Interpretes per gratiam unionis hypostaticæ, æque ac humanam, haberet divinam naturam divinæque naturæ potentiam; tum per consequens ad beatificam Dei visionem, quæ divinæ illi filiationi debetur. Atque hinc transcurrimus ad dignitatem aliam Christi Jesu pervestigandam, utrum nempe sit et dici possit, quatenus homo, Filius Dei naturalis vel adoptivus. Hic autem est *alienus filius naturalis*, *scilicet generatione et natura, qui per adoptionem, videlicet assumptio-*

---

* Sacerdos edicitur *secundum ordinem* aut ritum et similitudinem Melchisedechi; de quo plura apud S. Epiphanium l. 2 hæresi 4 Melchisedechiani hæretici fabulantur: non autem *Leviticus* sacerdos secundum Aaron ordinem; quoniam et Christus non ex tribu Levi, sed Judæ ortus est, et ille aliunde Sacerdos Altissimi, præter analogias alias ab Apost. Hebr. 7 ex professo descriptas, panem olim proferens et vinum eisque benedicens, adumbravit Christi sacrificium incruentum, dum hic in novissima cæna suum obtulit corpus et sanguinem sub panis ac vini speciebus. Vocatur etiam *Sacerdos in æternum*; quia Christus in munere Sacerdotali nullum habuit successorem, et illo adhuc fungens seipsum quotidie sacrificat ministerio Sacerdotum, et usque ad exitum mundi sacrificabit. Laudavi c. 7 Ep. ad Hebræos: inde plura quoad hoc ipsum doctore Paulo perdisces.

ne gratuita, eligitur ab aliquo in locum filii et ad propriam hæreditatem.

Ponentes itaque Nestoriani duas personas in Christo, duos quoque filios, naturalem unum, insitivum alterum in eodem constituebant: eamdemque personarum ac filiorum in Christo distinctionem saltem indirecte comminiscentes, ideoque et veternosa fæce perfidiæ contacti (ut fere omnes judicant) Felix præsul Orgelii et Elipandus episcopus Toleti tradiderunt sæculo VIII exeunte, Christum Jesum, qua homo est, appellandum esse Filium Dei non naturalem, sed adoptatum; quam hæresim Hadrianus Papa et Conc. Francfordiense Magni sub Caroli præsentia ac præsidio condemnavit. Huic Felicianæ perfidiæ quid consonum tinnire videtur Scoti et Durandi dura sententia, Christum, quatenus est homo, licet etiam hoc pacto sit vere Filius Dei naturalis, posse filium dici adoptivum; idest non specificative sed reduplicative, inspecta humana illius natura hujusque gratia sanctificante: quod tamen loquendi temperamentum Scotus evitari jubet, quamvis esse illud, *per subtilem*, ait Petavius, *et argutam vocis interpretationem,* ab hæresi vacuum, sentiant etiamnum Viri docti. Os incautum Durandi et junctim os inconstans ac putidum Felicis, qui apud Lugdunum exulans sua in hæresi, ab discipulo tamen Elipando rejecta, obstinatus obivit, castigabit, obstruet sequens assertio. Cui alia accedet de dignitate ac officio *Capitis* in Christo, ut de Christi Titulis instituta disceptatio finiatur.

PROP. I. Christus, etiam secundum humanitatem, Filius est Dei naturalis: neque est nec dici potest filius adoptivus.

Prob. 1um e Scripturis. Matt. 3-17 Deus Pater hominem ostendens, quem videbant Judæi, voce in aëre efformata, dixit, *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Prostat item, de enunciatione, per Jesum, mysteriorum et jussionum Dei, 1 Jo. 18, *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit,* enarrans scilicet ut homo, ut homo prædicans. Sic etiam prostat 8 cap. ad Romanos, *proprio Filio suo non pepercit,* videlicet ut homini. In quibus aliisque Christus, secundum humanitatem seu ut homo, vocatur Filius Dei dilectus, nusquam mentione facta adoptionis et gratiæ, necnon Filius unigenitus ac proprius; ad differentiam adoptivorum, qui Deo sunt et complures et extranei, nec *essentialiter,* sed *abusive* filii dicuntur, ut inquit in Sacrosyllabo Paulinus Aquilejensis, hæresis Felicianæ strenuissimus insectator. Ergo Christus etc..

Prob. 2° Ex Patribus. Gregorius Nyss. Lib. contra Apollinarem, Gregorius M. lib. 1 Moralium et alii, uti nos, sentiunt, consentiuntque Augustino scribenti Tract. 82 in Joannem, *nos filii gratia, non natura; Unigenitus autem natura, non gratia: an hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum est? ita sane.* Quid disertius ad intentum? Ergo concludam cum S. Ildefonso, qui ante Elipandum Toletanæ præfuit Ecclesiæ: *divinitatis natura Christum in proprium Dei Fi-*

lium exaltavit, ut totus esset Christus proprius Dei Filius, homo et Verbum, eique non sicut cæteris ex adoptionis gratia aut ex molimento virtutum prærogativa Filii præstaretur. Sic et Justus, qui ante Felicem Ecclesiæ præfuit Urgellitanæ: unde etiam patet Ecclesiarum Hispaniæ antiqua traditio ac fides fideique præscriptio.

Prob. 3° ratione. Adoptio Jurisconsultis est, *gratuita personæ extraneæ assumptio ad hæreditatem;* qualis idcirco persona *insitivus hæres* a Seneca appellatur: atqui Christus, etiam ut homo, non est persona extranea respectu Dei; cum non sit, etiam ut homo spectatus per reduplicationem, nisi persona divina, quæ Filius est naturalis ac proprius Dei Patris: ergo etc.. Deinde *filius* est nomen personæ, et *filietas* competit personæ aut hypostasi, non naturæ, quæ nec *filia* dicitur, nec concipitur et generatur: atqui humana natura Christi non habet personam diversam a Deo Verbo, seu a Filio Dei naturali: ergo etc.. Prior quidem peremptoria ratio est Libri *Sacrosyllabi* approbati in Concilio Francfordiensi; posterior vehementissima Doctoris est Aquinatis tertia p. quæstione 23 art. 4. Hisque abundanter simulque expedite error Elipandi, necnon opinamentum Durandi, labefactantur: Durandi profecto, absque Scripturarum Patrumque fundamento proloquentis.

PROP. II. Christus homo est morale Caput Ecclesiæ; quod fide constat; ac certo sensu est etiam Infidelium et Angelorum.

Prob. Thesis et explicatur. Quoad priorem partem sic habes 1 c. ad Colossenses, *ipse est Caput Corporis Ecclesiæ;* et 1 ad Ephesios, *ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam.* Revera in Christo homine occurrunt tria illa, quæ secum trahunt Titulus et moralis officium Capitis respectu Ecclesiæ; unio cum membris, præminentia regiminis, plenitudo gratiarum et in omnia membra suæ virtutis influxus ad agendum: ergo vere est Ecclesiæ Caput.

Prob. 2ª pars. His conditionibus inspectis, esse Caput prædestinatorum fidelium, jam liquet; immo et fidelium quoque reproborum, licet hi sint membra abscindenda. At insuper est Caput viatorum infidelium, ait D. Th., in quantum potentia, non actu, sunt supereminentis membra Christi, a quo gratias actuales accipiunt, iisque offeruntur uberiores: tum denique Caput est Spirituum patriæ cælestis, non ratione influxus gratiæ omnis ac gloriæ etiam essentialis, ut alii contendunt; sed accessionis per Christum gloriæ accidentalis, ac iterum ratione ejusmodi conjunctionis ac præminentiæ, qua Deus illum constituit ex 1 ad Eph. *supra omnem principatum et potestatem... et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Ideo recte dicit Aug. in Ps. 36, *omnes, qui ab initio fuerunt justi, Caput Christum habent... adjunctis legionibus et exercitibus Angelorum.* Ast nullo intuitu Caput est damnatorum, ait S. Thomas; eo quod in æternum a Christo Capite separantur, ac utpote membra abscissa nullum ab eo influxum salutis

accipiunt: quam æternam abscissionem atque perniciem Jesus a nobis miserator avertat.

OBJECTIONES aliquæ solvuntur. Objiciebant Hispani Episc. Felix et Elipandus: Irenæus lib. 3 c. 19 inquit, *qui Filius Dei est, filius hominis factus est, ut adoptionem percipiens fiat Filius Dei.* Secundo Hilarius lib. 2 de Trinitate, *potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* Tertio, ne universos exscribam, Cyrillus, Augustinus, Eusebius Cæsariensis, Œcumenius nomen usurpant *adoptivi,* et de Christo ajunt, adoptione esse Filium. Ergo etc.. ℟. N. consequentiam. Irenæus ea verba, *adoptionem percipiens,* non refert ad Christum, sed ad quemlibet hominem, qui fiat filius Dei adoptivus, quasi dicat: Filius Dei factus est filius hominis, ut nos per ejus merita justificati *filiorum adoptionem perciperemus*, quod ipse superiora collustrans eo loci concludit. Ad 2. Nonnulli facta collatione codicum, atque ex Alcuino et Hincmaro reponunt, ab Hilario scriptum fuisse *adoratur*: etiamsi cum aliis reponi queat, hunc esse sensum, quod a Verbi potestate nil decesserit dignitatis, *dum carnis humilitatem* adoptavit, idest sibi hypostatice adscivit, adsumpsit. Et sic ad 3, de illa generaliter Antiqui intelligendi sunt adoptione, qua gratis a Deo Verbo assumpta fuit humana Christi natura in propriæ hypostasis unitatem: nunquam enimvero duplicem diserte filiationem aut duplicem in Christo Filium adstruxerunt.

Dices etiam. Hæc propositio, *Christus ut homo Deus est*, est falsa ob duplicationem: ergo et hæc falsa est, *Christus ut homo est Filius Dei naturalis*. ℟. N. paritatem. Prior quidem enunciatio sumitur *reduplicative*, spectaturque humanitas *abstracta* a divina Verbi persona; sed secunda *specificative* et in concreto, ac sensus est: Christus homo, seu Verbum in humanitate subsistens, est Filius Dei naturalis; quod verissime effertur, cadente nonnisi in personam, ut monui, proprietate filiationis. — Unde etiam ulterius, quod tandem aliquando notatum quoque velim, novitius corruit Berruyerismus seu novum dogma a Berruyerio recusum, ab ejusque Doctore præformatum, illo nempe Harduino, qui, *orbis litterati portentum, docte febricitans, venerandæ antiquitatis cultor*, simul et ex Verneti epitaphio *deprædator extitit*: quique nostra hac in re prodocuit, Christi humanitatem in recto, ut fuse explicant impugnantque Legrandus aliique, esse dicendum Filium Dei unius et veri, tribus in Personis subsistentis, verum ac naturalem. Quam noxius sic error extruitur! tum aliis tamen rite ponderatis, tum jam ex distribute traditis de idiomatum communicatione subruitur.

Objicies in 2 Thesim. Si Christus est Ecclesiæ Caput, foret etiam membrum Ecclesiæ; nam caput naturale est membrum corporis naturalis: atqui id dici non potest: ergo neque illud. ℟. N. sequelam majoris. Etenim morale caput in hoc disconvenit a naturali, quod non habeat rationem

partis, nec ideo dependentiam a partibus: hinc Christus, qui est fundator gregis, non est de grege; *ut sit in omnibus ipse primatum tenens.*

Verum inquies: in 1 ad Cor. 12 scripsit Paulus: *vos estis corpus Christi, et membra de membro.* Respondendum, per τὸ *de membro* græce ἐκ μέλους, *ex membro,* vel, ut græcus habet hodiernus, ἐκ μέρους, *ex parte*, Paulum significasse juxta Chrysostomum non Christum, sed Corinthios aut Corinthiam Ecclesiam, quæ pars erat seu membrum magni corporis mystici aut Ecclesiæ universalis; quod, ut magis apparet illustribus ex interpretibus Pequigny et Gorcomio in hunc locum, minime flexiloquum est, ac perbelle se habet.

CAPUT II

De Dotibus Animæ Christi, Scientia et Sanctitate.

Scientia perfectio est attinens ad intellectum, quemadmodum sanctitas ad voluntatem. In Christo prout Deo perfectissimam infinitamque fuisse rerum omnium notitiam, divinam, increatam, quæ creatam non infuscaret, veluti lux Solis interdiu lunæ lumen, sed magis in eo adaugeret, uti lumen aëris lux ejusdem maximi Luminaris; supervacaneum ac extra metam est hoc loco dicere: edicit enim id aperte, et apertissime evincit ipsa Christi divinitas, a qua nequit sejungi attributum divinæ cognitionis. In Christo autem ut

homine adesse scientiam aliquam creatam et humanam, contra Arianos et Apollinaristas evincit de fide VI Synodus Act. 4 et 8; ubi ex Epist. Agathonis, sicut duplicem Christi naturam, sic omnia in eo duplicia confitetur.

Ista vero ejus scientia creata ulli ne ignorantiæ permixta fuit? an a primo conceptu perfecta extitit? hic eunt omnes in malam ii crucem, qui, abnegantes Christo Domino sapientiæ plenitudinem, hominem purum putum illum esse blasphemant. Sed speciatim Gnostici et Valentiniani sæculo II, cum putaverint, Christum infantem aliorum more infantium rationis usu caruisse, fabulam dixere, qua in toto Æsopo non alia insulsior est: nimirum imbibisse Jesum literas alphabeti simul, ut ita dicam, cum scholæ pulvere, ac sub ferula magistelli inter cathedras ingemuisse discipulorum; quod figmentum forte hauserant a Rabbinorum libris, qui Christi magistrum Jesum quemdam Perachiæ filium e cerebro cuderunt suo, Medicis committendo, adeo ut bene illud cum Juven. repetas ex sat. 6: *qualiacumque voles, Judæi somnia vendunt.* Tum dein VI sæculo quidam ex Eutychianis Sectarii orti sunt, dicti *Agnoëtæ* seu ignorantes, quia multarum rerum ignorantiam Christo aspergebant: quem ei errorem summopere contumeliosum adoptarunt Lutherus, Calvinus, Brentius aliique complurimi Novatores. At nostratium vera est et communissima doctrina, viguisse Christum ut hominem plenitudine scientiæ, a conceptu primo; quæ ad singula ob-

jecta pertineat, quorum notitiæ mens humana Christi capax erat. Cumque celebris sit humanæ scientiæ Christi divisio, in beatificam, infusam, adquisitam; intererit, de iis in priori thesi proferre sententiam.

De Christi nunc sanctitate etiam nonnulla prævertam. Eumdem, prout Deus est, sanctum esse per sanctitatem essentialem, sibique identificatam, jam liquet. Verum et ipsius humanitas ob *gratiam* unionis ad Verbum sancta est sanctitate substantiali; *creata* quidem et temporali, eam si sumas pro ipsa unione hypostatica; verumtamen *increata* in sensu cencreto, quatenus scilicet increata et substantialis sanctitudo Verbi hypostatice unitur humanitati, ac moraliter in eam derivatur, quin ipsam proprie informet vel ipsi identificetur. Inhæret autem formaliter animæ humanæ, est nimirum Christo homini physice intrinseca, gratia et sanctitas habitualis adventitia, venustans, explens, perficiens animam modo magis connaturali in ordine ad actiones supernaturales: ad quas actu exercendas gratiam habuit actualem utique cooperantem, iis sine nævis, quos in nobis supponit; non vero indiguit excitante, cum semper ad optima quæque vigil esset et erectus, nullaque difficultate retardatus. Atque in hoc interim generico adserto consentiunt universi Catholici, quod Christus secundum humanitatem fuerit summe sanctus Deoque acceptus; quam fidei assertionem ubivis sacræ paginæ evincunt.

Illiusmodi gratiam ac sanctitatem habitualem,

qua dari major non poterat de lege ordinaria, comitabantur in Christo, excepta fide et spe theologica, quas excludit clara visio beatifica præsensque objecti possessio, virtutes etiam omnes, cum ejus perfectione non pugnantes, seu infusæ seu acquisitæ: quæ, licet ita dic tæ, quia possunt per actus acquiri repetitos, in eo tamen fuerunt infusæ per accidens a primo instanti conceptionis. Illam quoque gratiam et sanctitatem comitabantur, ex Isaia propheta c. 11, (Irenæo, Hierón. aliisque interpretantibus) omnia Spiritus Sancti dona; iis vero detractis imperfectionibus, quibuscum in nobis deprehenduntur, et quæ vel proprium peccatum supponunt, vel statui beatitudinis opponuntur. Cum tot denique gratiarum imbribus singulæ item gratiæ gratis datæ in Christi difluxerunt humanitatem: et sic in hisce omnibus obiter indicatis facile annuunt catholici Scriptores. Quum autem eo sanctior aliquis æstimari debeat, quo magis est ab omni peccati labe peccandique potestate alienus, et Christum quasi in desperationem actum obiisse, Calvinus cum aliis, de quibus Hosius, horrende blasphemet; juvat aperire deinceps nostri Salvatoris impeccantiam. Omnia protinus ac volucri stylo persequamur.

PROP. I. Fuit in Christo perfecta scientia beatifica; necnon scientia per se et per accidens infusa, eæque a primo conceptus instanti; tum altera propriis naturæ viribus successu temporis acquisita.

Prob. 1°, quoad scientiam beatam visionis, an-

gumento D. Thomæ q. 9 a. 2: « scientia beatorum in Dei cognitione consistit: sed Christus plene cognovit Deum etiam secundum quod homo, secundum illud Jo. 8, *Scio eum, et sermonem ejus servo:* ergo in Christo fuit scientia beatorum. » Et quoniam ista animæ Christi debebatus vi suæ unionis hypostaticæ cum Verbo, cui a prima in Virginis utero formatione humanitatis unita fuit, ab hoc etiam instanti ipsam scientiam habuit, qua vidit in mortali vita, et omni quidem alia creatura clarius, divinitatem et gloriam. Certum est itaque, juxta Fulgentium aliosque Veteres omnesque Theologos, Christo homini, cum adhuc *intra cellam gestantis illum in utero lateret*, a primo sui conceptus instante, etsi non comprehensivam, plenam tamen et intuitivam divinitatis insedisse notitiam aut visionem. Non id autem, Suarez et Petavio consule, licet contrarium sit erroneum aut certe temerarium, de fide censendum est, ut quidam volunt; quia Scripturæ et Patres, præterquam Fulgentius, aliter ab Aurelianensi Theologo, aliter a Thomassino explicatur, de Christo qua Deo possunt exponi.

Prob. 2°, quoad scientiam infusam, ex eodem D. Th. ibidem art. 3, ubi ait: *sicut in Angelis secundum Aug. ponitur duplex cognitio, una scilicet matutina, per quam cognoscunt res in Verbo; et alia vespertina, per quam cognoscunt res in propria natura per species sibi inditas: ita præter scientiam divinam et increatam est in Christo secundum ejus animam scientia beata,*

qua cognoscit Verbum, et res in Verbo; et scientia infusa, sive indita, ad omnia Mediatoris munia cognoscenda spectans, *per quam cognoscit res in propria natura per species intelligibiles humanæ menti proportionatas.* Et re enim vera eo quod scientia aut per se, respectu rerum supernaturalium, aut per accidens infusa, naturalium respectu rerum divinitus acceptà notitià cognoscendarum, sit perfectio nullam involvens contradictionem cum statu redemptoris, neque etiam cum scientia visionis, quia res agnosci valent in essentia divina et in se ipsis: concedi hinc illa debet animæ Christi, qui, *a principio perfectus, perfectior esse non potuit,* ait S. Gregorius Theologus[1]; et certe concedi a primo creationis suæ momento, quandoquidem ipsi debita fuit ratione unionis, fuitque nulla ratio ejus differendi largitionem. Sic communius tenent Scholæ Doctores. Cæterum qui Christum ad humanas literas addiscendas ludimagistro usum esse finxerunt, testimonio revincuntur multitudinis Judæorum adstupescentium, cum doceret in templo Jesus die festo *scenopegiæ,* ac tanto præ stupore dicentium: *quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Sed eam fabulam linquo: *credat Judæus Apella, non ego.*

Prob. 3°, quoad scientiam acquisitam; quam inesse Christo, probat Angelicus Præceptor art. 4 hisce verbis: *Hebr. 5 dicitur,* » Cum esset Filius Dei didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam, » *Gloss.,* » idest expertus est: » *fuit ergo in Chri-*

sto aliqua experimentalis scientia, quæ est scientia acquisita. Ac de hujusmodi novo cognitionis modo Patres complures sanctusque Thomas 3 p. q. 12 a. 2 accipiunt verba Lucæ, *puer proficiebat sapientia et ætate et gratia.* Christi igitur anima ministerio sensuum, ipsoque usu et contemplatione rerum percepit v. gr. suamet miracula, Apostolorum obedientiam, machinamenta Pharisæorum, jamque prævisam suæ passionis acerbitatem, et quæcumque ab initio, per anteceptam notitiam, interiori mente prænoverat. Hæc sciscunt communiter ac probabilius. — Unde concludimus, Christum hominem, *in quo sunt*, ajebat Paulus ad Coloss. 2, *omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*, omnigena et plena perfectaque scientia fuisse decoratum; ut profecto, eum nil ignorasse, SS. DD. tradiderunt, eumque sic decuisse, evidens etiam Theologorum ratio confirmat.

PROP. II. Nullum fuit in Christo neque originis, neque actuale peccatum; immo nullum esse potuit: et hæc ejus impeccabilitas non a visione beatifica aut gratia sanctificante, vel singulari Dei protectione etc., sed præcise ab unione hypostatica profluxit.

Prob. 1ª et 2ª particula prop.. Circa primam, quæ est de fide, clarescit ex illo Lucæ, *quod nascetur ex te sanctum*, excludi a Christo piaculum originale, juxta tralatitiam Patrum interpretationem. Constat quoque ex Jo. 8, dum Salvator sic invidos alloquebatur, *quis ex vobis ar-*

guet me de peccato? amoveri ab eodem, quippe *qui non noverat peccatum,* 2 Cor. 5, omne vel levissimum peccatum actuale. Hoc itidem a Christo una cum originali permulta alia Scripturæ omniumque Patrum dicta propulsant. Circa 2^{am} partem vero, quæ juxta realem statum in Christo visionis beatificæ et hypostaticæ unionis est item de fide, iis eisdem testimoniis eruitur, etiam prout hominem fuisse impeccabilitatis privilegio cumulatum: quidquid enim Virgo genuit, singulari modo dicitur *Sanctum* et conceptum de Sp. Sancto. Ait autem Apostolus: *talis decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus;* quem ideo Augustinus incontaminabilem Sacerdotem appellat, *in cujus,* inquit, *non tantum divinitate, sed nec in anima nec in carne ullum potuit esse peccatum.* Namque esset indecorum et impium, si, rebellans in seipsum sibique per peccatum odiosus evadens Christus Dei Filius, de quo enunciantur opera humanæ naturæ propria, posset, uti passus et crucifixus, ita dici peccans et sceleratus, pœnisque sempiternis obnoxius.

Prob. pars ultima conclus. cum Thomistis et aliis communissime contra Scotistas. Lucæ 1 habetur: *Sp. Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur* etc.; ex quo patet, quod Christus Jesus, sicut vi præcise unionis sanctus est sanctitate substantiali, ita præcise vi unionis hypostaticæ sit adeo impeccabilis, ut vel levissimo peccato nec de po-

tentia absoluta coinquinari potuerit. Eaque ex ratione Isaias Christi etiam nomine ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* Eamobrem cum D. Hilario lib. 10 de Trinit. aliisque Patribus Alexandrinus Dionysius in ep. ad Paulum Samosatensem, *nisi fuisset Christus,* inquit, *idem qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus a potestate peccandi.* — Ex his autem in hac thesi constitutis oritur, quod, tametsi in Christo fuerint passiones nostris similes quoad substantiam, quoad modum vero dissimiles, quas ideo Hieronymus *propassiones* appellat; nulla tamen in eo extiterit, quemadmodum nec in Adamo innocente, concupiscentia seu peccati fomes, humanam naturam sic regente Dei Verbo, ut nil tumultuans et inordinatum in ea pateretur. Quod constans Ecclesiæ fides, Ecclesiæque lumen Augustinus inter reliquos, anathema etiam dicere non ambigens secus sentientibus, et nominatim Synodus V Generalis collatione 8 declaravit.

OBJECTIONES expenduntur. Quæ contra scientiam Christi militant, vel sunt minus utiles humani ingenii velitationes, et re penitius attenta exsufflantur; vel, si aliquid afferant momenti ipsisque divinis Scripturis videantur inniti, ea alibi disjecta fuerunt, aut ex iis extricabuntur, quæ aliunde percepistis. Nihilo tamen secius eam subdo difficultatem, qua argui posset adversus 1^{am} simul et 2^{am}

propositionem, et cujus solutio ad quasdam alias præsidio erit eluendas.

Objiciunt itaque : juxta hæc de Christo prophetica Ps. 21, qui de passione Domini mirabiliter historicus ostenditur, *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti ? longe a salute mea verba delictorum meorum,* Christus in cruce pendulus de facto sic exclamavit, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* Si ita ergo derelictus fuit a Deo; non habuit scientiam beatam Dei visionis, quæ secum trahit animæ gloriam et perennem felicitatem : ergo etiam, si ita clamavit, peccato obnoxius fuit, dum veluti actum desperationis elicuit.

℟ ad 1am illationem sic distinguendo : et Christus ex verbis citatis fuit quantum ad animam a Deo derelictus, neque ejus anima, secundum superiorem rationem, Deo intuitive viso delectabatur omni momento, n. consequentiam; et verba illa tantummodo subindigitant, quod anima Christi, recipiens corporeo sensu passionem, afficiebatur secundum rationem inferiorem, quam *sensualitatem* vocant, vehementi dolore, qui nullo leniretur auxilio, c. consequentiam. Christus enim per suam absolutam potestatem cohibuit torrentem voluptatis in mente, ne difflueret in sensus. Igitur Dominus Jesus Christus ita loquutus est, ut patefaceret, se habere naturam humanam; quæ, uti vere David de Christo prædicebat, desolata sibique relicta corde liquescit tanquam cera, arescitque virtute tanquam testa, sic ut in pulverem

mortis adducatur, quæque interim a sui dissolutione per se ac interitu vehementer abhorret: loquutusque ita etiam est, ut *Incarnationem*, ait Epiphanius Hær. 69, *non specie dumtaxat adumbratam, sed reipsa vereque administratam fuisse, discamus.*

℟ iterum, alteram negando consecutionem. Etenim ea verba neutiquam sunt impatientis atque desperantis animi; sed illis Redemptor Jesus omni humana ope et solatio destitutus, hocceque sensu derelictus, ostendit, ut dixi, veritatem suæ humanitatis et doloris sui acerbitatem: ideoque ait per Psalmistam, *longe a salute mea*, idest longe me faciunt seu impediunt, ne ab his tormentis eripiar, *verba delictorum meorum*, scilicet flagitia subditorum, quæ ipse mea feci; quæque revera *ipse pertulit in corpore suo super lignum* ex 1 Petri c. 2. Non solum ergo impietatem alunt in pectore Calvinus et Johannes Ferus (*Sauvage*), sed fungum habent pro cerebro, qui non capiunt, iis verbis Jesum, nedum caruerit fiducia in Patrem, ad ipsum potius, sic inclamando, confugisse, et vitæ etiam extrema voluntarie et pacifice sustinuisse; prout *Delogus* noster contribulisque meus ad rem breviter observat, evincit, sic concludens Epigramm. 42 primæ par. *Indicis Libri vitæ*:

« Quo vero tendit, Jesu, tua sancta querela,
Quando tu temet deseris ipse libens? «

Patri ideo Christus perpetuo obediens, cum omnia consummasset, ad extremum emisit spiritum

pacifice; nam scribit Lucas 23: *clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expiravit.*

Sic pro nobis utique expiravit Homo-Deus; (quod nunc arridet appingere): descenditque statim ad inferos locali descensu, idest juxta fidem, contra obtortas Novantium interpretationes, ad Limbum Abrahæque sinum. Tum vero tertia die, post tot in vita exinanitiones, ignominias, exaltatus tandem, vere ac gloriose resurrexit, terra Cœloque gaudentibus; etsi irreligiose falsi ingratique Wolstonius atque Edelmannus cum Deistis in Christi prosiluerint resurrectionem. Post item quadraginta exinde dies ascendit ad Cœlum, seditque gloriosissimus ad dexteram Patris. Illinc ergo sua nos JESUS sacratissima dextra jugiter benedicat ac salvet! *

---

* Hæc de Christo disputavimus *Salvatore mundi*, quem, ut iterum repetam, quod grato semper recolendum est animo, principaliori hoc titulo fulgere dicimus in spiritali sensu.

Atat Christus Jesus, quod tandem addam, in Philosophorum quoque gratiam, ex eximio Chateaubriand aliisque, dici etiam potest in sensu materiali, et quidem vere omnino, *Mundi Salvator.* Etenim humano quoque modo et sensu si loquamur, ejus præsentia ac transitus super terrarum orbem, fuit apud homines eventus omnium maximus; quo veluti et mundi fuit et mundanæ societatis innovata facies post christiani Evangelii prædicationem. Christi namque Evangelium tum societatis universæ tum scientiarum omnium avertit impedivitque ruinam et interitum.

Quid plura? quod de Germano imperatore Carolo Magno *Dumas* (in *Gallia* et *Francia)* affirmat, illum Septentrionis fuisse Barbarum, qui repulit terræ barbariem; usquequaque verissimum dixeris, et jure id tum contigisse credideris, si benignum, eo imperante rerumque potiente, Christianæ religionis influxum et mitem ipsius pervagatumque adeo cultum attenderis.



APPENDIX

De cultu Christi et Sanctorum, Reliquiarum et Imaginum.

Cultus hoc loci non *mundum muliebrem* significat, prout apud Tertullianum, nec vitæ victusque rationem et apparatum, ut apud Latinos; sed id, quod Tullius significavit in Tusculanis, ajens, *philosophia, inventum Deorum, nos primum ad illorum cultum erudivit:* quo scilicet sensu idem est ac *adoratio*, sic dicta ex signo exteriori manus *ad os* admotæ alios venerandi gratia, quod et pueri faciunt. Quoad nos itaque spectat, adorationem seu cultum ita scholastice definias: actio est intellectus apprehendentis excellentiam alicujus, simulque actio voluntatis nostram reverentiam propter excellentiam ipsam aut interne protestantis aut externe etiam exhibentis; uti cum Occidentales retecto inflexoque capite, eo autem cooperto Orientales adorant. Cultus hic seu *politicus* est, seu religiosus: et ille quidem cum præstatur alicui, principi ex. gr. aut præsidi, ob naturalem aliquam et civilem excellentiam; alter autem, qui ob excellentiam præstatur supernaturalem aut divinam.

Ratione imparis excellentiæ discriminat religiosa adoratio in *latriam* ac *duliam*. cultum dicunt supremum illum, qui D(supremo tribuitur. Duliæ vero, qui Dei impenditur ob eorum gratiæ et gloriæ e tiam minus quam divinam et plusquam lem et humanam: quæ, quia in benedi super mulieres Dei matre præstantior es in creaturis aliis; ideo *hyperdulia* dicitur logis illa præstantissima dulia seu serv adoratio, quæ ei debetur et deputatur. Quo que porro fit adoratio, vel *absolutam* judicabis, vel *relativam*: absoluta erit, si res propter semetipsam sibive propriam intrinsecamque perfectionem adoretur; eritque relativa, etsi hæc etiam applicari denominatio possit adorationi omni creaturarum ob respectum, quem dicunt ad Deum, quando res colitur ob personæ alicujus, ad quam ceu ad prototypum relationem habet, eximium decus ac meritum, ab ipsa re signove personæ sejunctum ac extrarium. Sic absolute propter se colis Regem adstantem; ipsiusmet autem exuvias aut statuas relative colis ac revereris: Christi etiam imaginem aut crucem ita relative adoras, ut, illic non sistens in Christum ipsum redundet adoratio, atque ita cultus latriæ respectu Christi non relativus sit, sed simplex et absolutus. Quadrifariam interea hanc digero tractationem.

Latriæ Cultus.

§. 1. De fide est certum penes omnes, Chri-

stum, sive hominem hunc, designato Christo, adorandum esse supremo cultu latriæ, quemadmodum est definitum a' Conc. Ephesino can. 4, idest una eademque suprema adoratione honorificari Emmanuelem: hic enim homo Christus est verus summusque Deus. Sub alia insuper subtiliori consideratione de fide quoque certum est ex communi Patrum Theologorumque doctrina, Christi humanitatem prout Verbo conjunctam, Christumve, ut cum aliis Jo. exprimit Clericatus, *prout hominem* adorari debere cultu latriæ absoluto, ex eodem Ephesino can. 5. Colligitur ex secundo cap. epistolæ ad Philippenses, juxta quod in meritorum humanitatis Christi mercedem Deus exaltavit illum super omne nomen, ut omne ei genu flectatur: *qua in re*, ait post Athanasium S. Jo. Damascenus lib. suæ Theologiæ tertio cap. 8, *non creaturæ servimus; non enim illam ceu nudam carnem adoramus, sed ut divinitati unitam.* Et sane Christi persona naturam complectitur humanam: ergo item adoratio personæ, uti comprehendit latreuticam divinæ naturæ adorationem absolutam, ita et latreuticam humanæ complectitur. Seriem Traditionis luculentiorem de his exhibet eminentiss. eruditissimusque Gerdilius *in Notas nonnullarum propositionum Synodi Pistoriensis:* ubi et, plerisque luculentius, quæstionem illam exponit de *proxima* in Christo, *mediante* tamen anima, unione carnis sacratissimæ adorandæ.

Nec sit, qui ita contradicat: adoratio latriæ

est soli Enti increato impendenda; non igitur humanitati Verbo etiam unitæ, quum creatura permaneat, potest exhiberi. Hoc enim consequens abnegatur. Sat namque est, quod, licet una eademque adoratione, non eodem tamen modo adoretur humanitas: Verbum enim adeoque tota Trinitas primario et omnino independenter *propter se* colitur; humanitas autem, ceu secundarium objectum, *in se* quidem, at non *propter se*, idest concomitanter et velut per accidens adoratur, quatenus est aliquid personæ, quæ increatam excellentiam humanitati communicat ob unionem hypostaticam.

Ergo, dices, adoratur *relativo* tantum cultu. Hanc enim sequelam inficior: cultus namque relativus refertur ad alterius suppositum; Verbi autem suppositum, ob cujus excellentiam adoratur humanitas, fit hujus apprime proprium, præ mirifica in divinam unam hypostasin assumptione sacratissimæ Humanitatis. Unde et pie riteque ab Ecclesia charitate flagrantissimum sacratissimumque *Cor* Jesu proponitur sic latria adorandum: quia non simplex, ait cit. loco Gerdilius, divulsum a Verbi persona, musculosum carnis frustum adoratur, quasi justum per contemptum maledici clamatores et sycophantæ id insusurrent, immo clament, nos ita carnales materialesque esse et constitui *Cordicolas*.

§. 2. Humanitas Christi, si ut sejuncta a Dei Verbo per intellectum abstractive consideretur, adorari potest inferiori cultu, scilicet duliæ ob

creatas ejus perfectiones habitualis gratiæ donorumque S. Spiritus: *cultu duliæ*, inquam; non cujuscumque, illius, puta, quæ communiter aliis creaturis impenditur, sed cujusdam excellentioris, quam υπερδουλέιαν, seu *superiorem servitutem* vocant. Ita post Angelicum Scholæ principem, 3 parte q. 25 a 2, communi ore cum eximio Thomæ interprete Carolo Renato Billuart ex Conciliis et Patribus Scholastici. Quo loco pulchrum istud nota Damasceni Joannis, intelligendum tamen varia juxta asserta a nobis hucusque denotata: » caro quidem secundum suam naturam, » scilicet quantum ex se est, inadorabilis est ut » creatura, unita autem Dei Verbo propter ipsum » et in ipsomet adoratur: ad eum modum quo » Rex et nudus adoratur et indutus; purpura au- » tem conculcatur ut nuda, sed ut amictus Re- » gis honoratur ».

Cur ergo, ais, a Conciliis Patribusque vetitum duas induci adorationes, alteram Christi ut Dei, atque humanitatis alteram? Recte sapienterque id factum, ut Nestoriani damnarentur, et eorum consectarius error; quo videlicet separetur Christus velut homo ab ipso Dei Verbo, tanquam alterum suppositum ab altero, sicque perperam Christus scindatur duas velut in personas. Una est humanitatis Verbique simul adoratio latreutica: quemadmodum, ex Damasceno, in carbone ignito lignum tangi nequit, quin eodem actu tangatur ignis, totus quo carbo comprehenditur. Ne censeas igitur, mihique succenseas, quasi probem,

quod est valide improbandum; licere videlicet in praxi, Christi carnem et animam mentaliter a divinitate præscindere, ut, hac facta scissura, scindatur et cultus, humanitatique sacræ deferatur inferior. Tantum ad judicii theologici acumen doctrinæque crisin faciendam, ejusmodi non abs re paragraphum appinxi, antequam transitus esset ad cultum duliæ practicum ac realem.

Cultus Duliæ.

§. 3. Sanctos Angelos et justos quosque ipsamque Dei matrem in Cœlo regnantes religioso cultu non esse prosequendos, et Manichei docuerunt et arianus Eunomius et iconoclasta Claudius, Episcopus Taurinensis; præterque alios Calvinistæ Magdeburgenses et Lutheri gregales gregalesque *Philosophantes,* quos inter *Middletonus,* anglus, recentissimusque *Breckenridgius* americanus. Quin immo Johannes Œcolampadius, Lutherum Calvinumque sequutus, egurgitavit, quod tantus iste Catholicorum erga Deiparam cultus, cultus sit idololatrarum et idolorum. Inique tamen: ipsi etenim Collyridianos eorumque collyridem cum Epiphanio ridemus; dum parvæ placentæ genus in honorem Virginis, velut Deæ, festo quotannis die in Sacrificium offerebant superstitioseque manducabant.

Nos itaque Sanctos, quod cum Augustino protestamur ex 8 lib. de Civitate Dei cap. 27, nec divinis honoribus nec humanis criminibus colimus, sicut colunt Ethnici Deos suos; nec sacrificia il-

lis offerimus, nec ullorum probra in eorum sacra convertimus. *Non nos eisdem martyribus*, ait ille, *templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus; quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus.... Quis autem audivit aliquando fidelium, stantem Sacerdotem ad altare etiam, super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus, Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule vel Cypriane, quum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos et homines et martyres fecit, et sanctis suis Angelis cœlesti honore sociavit?* Templa ergo et quædam alia nemini unquam præter Deum dicata fuerunt: quod si *martyria* seu *memoriæ* Sanctis consecrari dicebantur antiquitus, ea non erant nisi templa, quæ Deo sub invocatione Sanctorum ad eorumque honorem erigebantur; quibus et nunc templa sub hoc intuitu tribuuntur.

§. 4. Hisce prænarratis, certum facio, divina imperari fide religiosam absolutamque Divorum adorationem. Adi sessionem 25 Conc. Trid. *de invocatione et veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus*. Abraham profecto ex 1 Geneseos, et Josue ex cap. sui libri quinto adoraverunt Angelos: eosque simul et sanctos omnes in cœlesti aula regnantes in novo nos Testamento *colimus atque adoramus verboque et re seu veritate veneramur*, inquit Justinus martyr; *idque omnibus, qui discere volunt, ut docti institutique sumus, copiose tradimus*. Sunt ii sane ipsius Dei et servi et amici et hæredes et filii: ergo prout

primates in politico principatu, sic et illos in religioso coli necesse est, ut ex Hieronymo honor servorum redundet ad Dominum: quo respectu, uti clamabat David, bene *nimis honorati sunt amici tui, Deus.* Quare hunc quoque intuitum habuerunt antiquissimi Smyrnensis Ecclesiæ Christicolæ in circulari Epist. famosa martyrii S. Polycarpi: « Martyres, tanquam Domini discipulos et imitatores, merito diligimus, propter illorum erga suum regem ac magistrum benevolentiam eximiam; quorum utinam et nos fiamus consortes ac condiscipuli! » et utinam, addam cum Cypriano, *perabjecto mihi istud videre contingat!*

Vides hinc, cultum illum esse *duliæ*, seu religiosæ nostræ *servitutis* erga Dei Servos; sic tamen, ut esse debeat hyperduliæ erga Christi Matrem: cujus suæ humilitatem ancillæ adeo respexit Dominus, *salutare suum*, per singulare privilegium divinæ maternitatis, ut illam ex hoc beatam dicant omnes generationes; quarum omnium cunctos in terra justos et in Cœlo sanctos longe transcendit, ipsos quoque prætergressa cœlorum Angelos. Enimvero, ait in opusc. 4 præceptor Aquinas, etiam *Angelos in tribus excessit, in quibus cæteros homines excedebat; nempe plenitudine gratiæ, familiaritate Dei et puritate:* de quibus sane adsunt Hieronymi, Ambrosii, Augustini in SS. Virginem præconia, necnon aliorum cum Bernardo, tandem inquiente, *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.*

Ex hisce momentis omnibus, et insuper, præter ea, quæ primo in Lib. tetigimus, ex Exodi 32, Job 30 et 42, ad Rom. 15, atque e Conciliis, (Missalia addens et Sacramentaria), Patribusque concludes contra dictos Sectarios, quos sectarius ipse Protestans, Leibnitz, cum Starckio aliisque apud *Esslinger,* ingenue revincit, in *Syst. Theologico,* non nefas esse nec Christo injurium Mediatori, nec vanum aut infructuosum, comprehensores omnes maximeque Deiparam tanquam mediatores secundarios a nobis invocari, ita in mundo hoc ineuntibus cœlesti cum mundo societatem; immo id perquam utiliter ab Ecclesia esse præceptum: cum etiam viventes ac peregrinantes in terra fratres in nostri auxilium invocare adhortarique liceat ac juvet, exemplisque probetur divinarum Scripturarum sanctorumque Majorum.

§. 5. Post hæc pronum est, Sectariorum spicula e Scripturis perperam excusa retundere. Sic in Deuteronomio et ad Timotheum Deo soli servitus et honos dicitur impendendus; sed *latriæ* et supremus intelligitur. Hunc quoque Esth. 13 Mardochæus recusavit Amani, qui talem ex D. Thoma aliisque sibi efflagitabat impudentissime; haud vero negavit, religiosum et duliæ in Dei servos esse conferendum. Petrus autem dicens Centurioni cohortis Italicæ Cornelio act. 10, *surge, et ego ipse homo sum,* humilitatem hoc modo suam ostendit, ait Chrysostomus, centurionemque monuit, gratiam ut omnem Deo referret acceptam, aliosque eo pacto et exemplo con-

docuit. Hoc similiter protestans Angelus Joanni in Apocalypsi, ejusdem certe non sibi recusavit adorationem ut illicitam; verumtamen insinuavit, non solum quanti faceret Christi Apostolos, quippe et ipsi erant tanquam Angeli vereque nuncii divinarum rerum, ast quanti totam insuper naturam humanam æstimaret, post ejusdem, facta Verbi divini Incarnatione, cum ipso Deo propinquitatem et cognationem. Paulus denique 2 cap. ad Coloss. non Angelorum Sanctorumque cultum objurgat, sed, juxta Chrysostomum Hom. 7, impietatis insimulat Hæreticos, qui dictitarint, accepto a Platonicis errore, non oportere per Christum, at per Angelos ceu mediatores reconciliari et ad Patrem accedere: quis enim id cordatus edixit unquam?

Neque inter Patres Athanasius, Serm. 3 ad Arianos, Angelis sanctisque obsequium invidet: nec *de morib. Ecclesiæ* Augustinus incusat colentes sepulcra martyrum. Is enim magnus Arianorum hostis latreuticum summumque creaturis honorem, perinde ac alii Doctores, deferri prohibet atque reprehendit. Alter autem errorum domitor carpit inordinate perverseque colentes, quales se multos novisse narrat, qui *luxuriosissime super mortuos bibant.* Anne hodiedum patiaris, inter Sanctorum solemnia lætasque memorias eorum, solemnia illa multorum festa tam luxuriosæ letitiæ, quam, proh! dolor et pudor! commessationis ebriosæ? Nonne cum eodem nos Augustino jam nuper commendavimus sacros memoriarum

martyrum honores? Nonne cultum, ad Cœlitum obsequia, sacrarum quoque reliquiarum festivum ac pium, omni tamen abacta superstitione, commendamus? De his vero speciatim.

Reliquiarum Cultus.

Cultum nunc relativum attingimus, imprimis reliquiarum Christi et Servorum ejus; respectivum postero hujus appendicis segmento perlustraturi cultum sacrarum imaginum. Furunt in sacras omnes reliquias iidem, qui in imagines debacchantur, hostes; quorum infra dumtaxat struemus agmen. Crucem modo Christi veram ac vivificam, sacrarum omnium reliquiarum principem, sine bellico contra damnatos jam Stauromachos æstu aut impetu, cum donata illinc nobis pace, respiciamus.

§. 6. Ea porro *Crux vera* Christi dicitur, quam ipse, factus piacularis hostia, pendulis in ea membris decoravit, purpuravitque sui divini sanguinis salutari rore, et Hælena sancta Constantini Mater invenit. Sacrosanctæ autem huic reliquiæ accedunt Spinæ, Clavi, Lancea, Tunica, Fasciæ, Lintea, Monumentum, præsepe Bethleem, mons Olivarum, Calvaria ac Sion, aliaque similia instrumenta et loca nostræ salutis. — Crucem itaque si spectes una cum Jesu illi suffixo, evidens est, latria adorandam, quia tunc Jesum adoramus: unde hoc sensu ei cruci psallitur ab Ecclesia, *O Crux, ave spes unica - dele crimina - adauge gratiam.*

Si vero seorsim respicias, ut mortis instrumentum, adorari debet ex fide, declarata a Tridentino sess. 25; et juxta D. Thomam aliosque, quod addam, latriæ quidem cultu, sed relativo, prosequamur oportet: quum sic in ea non adsit substantia rationalis, cui latria absoluta conveniat; adsit vero decor, qui ex Christi contactu, et illius facta ab eodem Christo in instrumentum salutis electione dimanat, relativumque expostulat. Quod si tertio alio modo consideres, prout est imago aut memoria Christi crucifixi, coles item adoratione respectiva, qua colendæ sunt imagines; imago autem Christi, solam ob tendentiam in prototypon, latreuticam efflagitat: crux igitur ejus latreuticam, ast relativam exigit. Eo similiter modo sunt adorandæ aliæ quæcumque christianæ cruces, ita vero ut realis illa crux integra, et quantulacumquæ ejus vera particula, latria prorsus eadem, et relativa, indiscriminatim adorentur. Volve tamen Bellarminum hic a cap. 20 ad 25.

Ad eum porro latriæ cultum relativum, ut omnis sacra veræ crucis imago, sacras inter imagines computanda, illa spectat crux sancta, crucis signum *transiens* appellata, qua nosmet ipsos signamus; et de qua, utpote Traditionis apostolicæ, Tertullianus hæc omnibus servanda proferebat *de Corona* num. 3: *ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo te-*

rimus, ob multijugam sane spiritalem utilitatem: quam probe testantur admirandis prodigiisque plurimis sancti Viri plures apud Gretserum.

§. 7. Spinæ itidem aliaque præfata sunt de fide cultu colenda religioso; quem relativum utique, sed, ob ipsam tantummodo relationem ad Christum, latreuticum habeas. Ita Damascenus. Tridentini vero PP. sic: *juxta catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ usum a primævis christianæ Religionis temporibus receptus est hujuscemodi cultus.* Adde remotioris memoriæ Concilia, Gangrense et Carthaginense quintum Nicænumque secundum. Ratio quoque ex ipsius rei natura maxime refulget.

Nam merito et divorum reliquias ii, qui fidem hac de re divinam non projecere cum Hæreticis, pio religiosoque cultu constanter venerati sunt: eo scilicet iisdem opportuno, qui duliæ tantum est ac respectivus; nisi ipsas cum personis simul, quarum sunt exuviæ ac reliquiæ, velut unum totale objectum eadem absoluta adoratione verearis. De facto honoravit Moyses ossa Joseph, quæ *tulit secum,* Exodi 13, cum populo egrediens ex Egypto: et Eccli. 48 *mortuum prophetavit corpus Elisei,* idest hic *in morte mirabilia operatus est,* quum cadaver in ejus sepulcro projectum ex 4 Reg. 13 *revixit et stetit super pedes suos,* vix dum illud tetigit ossa prophetæ, quibus ideo divinitus veneratio conciliata fuit. Quid quod Deus in N. etiam Fœdere prodigiis ingentibus, per *gratiam curationum,* ad contactum

sudariorum semicinctiorumque Pauli, Act. 19, ad solam umbram Petri, Act. 5, patratis, Petro sic et Paulo eorumque reliquiis conciliare voluit obsequium?

Ad hæc, non Abraham solum et Joseph, ille Saram uxorem, iste Patrem Jacob in eadem duplici spelunca Chanaan cum honore sepelierunt; non sepultura Levitæ Stephani tantum, Polycarpi dein et Hilarionis aliorumque honorifice curata fuit a piis hominibus, et quotidie ab Ecclesia curatur: sed et jugi Ecclesiæ usu honorifice transferuntur reliquiæ Sanctorum; conduntur coluntur que per consecrationem altarium; per miracula ad easdem facta celebrantur. Ecquis illa ignorat tam crebra tamque fulgida penes Petri Paulique corpora, de quibus Gregorius Magnus? Ecquis illa ad nostram usque diem Januarii Martyris? quæ profecto ab urbe Parthenopeja per totam late Ecclesiam, quidquid ab ipso famigerato Neapolis historico Jannone cum liberioribus ingeniis oblatretur, in pretiosi sanguinis ampulla coruscant. Reliquias ergo sacras præceptumque earum cultum qui damnant ac eliminant, recte a Tridentina Synodo damnatorio eliminantur judicio: nos autem Romano-Catholici merito laudabimur, dum meritissime veneramur illas; dum illæ nobis adhuc, prout de reliquiis S. Felicis inquit Paulinus, Nolanus Episcopus,

Vivificum spirant animæ victricis odorem,
Quo medicina potens datur exorantibus ægris.

§. 8. Hæc cum ita se habeant, militant tamen

digesta apud Angelicum ista adversus veram Crucem argumenta. Primo: nullus pius amansque filius veneratur contumeliam patris sui, puta flagellum, quo cæsus est, vel patibuli lignum, in quo fuit suspensus. Secundo: Christi humanitas adoratione latriæ honoratur, in quantum est unita filio Dei in persona; quod nec de veræ Crucis ligno dici potest. Regerit ad 1 Aquinas, art. 4: quod in Cruce, quantum ad opinionem infidelium, consideratur opprobrium Christi; sed quantum ad effectum nostræ salutis consideratur divina virtus crucis ejusdem, qua Christus vicit triumphavitque *principatus et potestates in semetipso:* et hinc magna disparitate fidelis adorat in cruce monimentum instrumentumque voluntarium suæ liberationis et fidei, dum in instrumentis paternæ poenæ filium pudet sui ipsius et patris infamiam. Ad 2 ait, quod crux Christi, licet non fuerit unita Verbo Dei in persona, fuit tamen unita alio modo, scilicet per repræsentationem et contactum; qua sub ratione ei reverentia a fidelibus exhibetur, utcumque hi olim ab infidelibus *crucicolæ* vocarentur. Adjice ideo, falso supponi id solum posse adorari *latria,* quod Verbo hypostatice fuerit unitum.

Insuper sic urgendo pugnabis: ergo illius ratione contactus labia Judæ essent latreutice adoranda; quin et, (velut asellus fabulæ, quia reliquiarum vector, ideo se adorandum ratus), asinus etiam foret adorandus, quo vectus est Christus. Repudiatur hæc ridicula consecutio. Nam ad

aliqualem adorationem, præter contactum, id exigitur, ut contacta res aliquam moraliter excellentiam participare censeatur, utque eidem adorandœ nil obstet: Judæ vero labia, atque ex æquo servi illa manus, quæ Christum percussit, manusque crucifixorum Christi potius ipsorum malitiam participarunt, spectanturque potius ut instrumenta malitiæ, idest Christi passionis, prout est actio in illis scelerosa ac imputabilis. Bruto autem animanti adorationem tribui repugnat; præterquamquod Jesus, non asino immediate, sed instragulis ei superpositis insederit.

§. 9. Saltem igitur, ais, aliæ cruces non sunt ullo cultu colendæ; quemadmodum coronæ, clavi, lanceæ, sepulcra, ab aliis Christi propriis diversa, non coluntur. Alioquin potiori jure Virgo Mater cultu etiam latreutico foret adoranda. At perperam inferes utrumque. Post edictum enim Constantini Imperatoris[1], qui sontes cruci prohibuit affigi, nil apud nos significant novæ fabrefactæ cruces, nisi veram primitivamque crucem et Christum in cruce distentum: dum e contra res aliæ diversæque a passionis Christi monimentis nec Christum nec ipsa monimenta repræsentant; nisi propriæ sint imagines, quæ, ut sint tales, ad certum exprimendum objectum, ad Christi Domini in casu nostro referenda mysteria fiant et erigantur oportet: quod si aliunde cudantur in hunc finem, suo honore et cultu non carent. Virgo autem beatissima suum proprium atque diversum habet cultum: qui nec relativus esse potest, sed

absolutus, cum intimam ipsa dignitatem habeat; nec potest esse latreuticus, quia etsi supereminentis, creatæ tamen dignitatis est creatura, et gloriosa quidem, at humilis ancilla.

Nec quoad Sanctorum exuvias ac sepulcra vacilles. Quid, si Deus corpus Mosis abscondit? hoc enim fecit, ne proni ad idola Judæi sibi adeo spectatissimum Mosen velut Deum adorarent idolico cultu. Quid si Lucæ 11 v. 47 Christus *væ* dicit ædificantibus monumenta prophetarum? non præcise namque et absolute sepulcrorum detestatur erectionem, sed Pharisæorum hypocrisin ac perversitatem; nam dixit: *væ vobis*, quia sic *profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum;* hi videlicet, ut ibidem extat, prophetas occiderunt, et eos filii imitabantur, Prophetarum principis Jesu meditantes occisionem. Quid demum, si Calvinus ridens obtrudat, tot falsas pro veris venditari adorarique reliquias, inter quas ossa forte latronum aut canum? Quid si et Boccacius sua in fabula de *Frate Cipolla*, æquiori tamen accipienda sensu, tot ridenda de illis exaggerat, ceu olim ut plurimum falsis? Reliquias Ecclesia, serio instituto examine, discernere satagit; et, quæ fuerint legitime inductæ, solas approbat: immo, ubi non temere et petulanter agamus, (utinam nec contentiose nimis, sicut de multis olim in nostra patria factitatum), jam nobis de quibusdam subdubitare liceat, prout de iis dubitavit Augustinus, quas quidam privati Monachi circumferebant. Quod si

quando irrepserint falsæ Sanctorum reliquiæ, ad licitudinem honoris sat est certitudo moralis, qua veris nos cultum erogare remur; uti moralis illa sufficit, consecratam ut hostiam adoremus. * Jam de Sanctorum exuviis: nunc de imaginibus.

Cultus Imaginum.

§. 10. Lustro octavi sæculi quinto, post antiquiores Judæos vetustosque quosdam Hæreticos, sacrarum imaginum osores, nonus Arabum calypha Yezidus II, impulsu Sarantapechys Judæorum ducis ac præstigiatoris, renovavit indictum alias ab aliis bellum adversus Sanctorum imagines. Quæ res, cum non, juxta illius promissa ve-

---

* Sunt ad hunc locum aptiora Thomæ a Kempis sensa l. 4 c. 1, sapientioraque ipsa sunt, quam ut ea legentibus pientibusque occulere malim: *Currunt multi*, inquit, *ad diversa loca pro visitandis reliquiis Sanctorum; et mirantur, auditis gestis eorum. Ampla ædificia templorum inspiciunt, et osculantur sericis et auro involuta sacra ossa ipsorum: et ecce tu præsens es hic apud me in altari, Deus meus et Dominus Angelorum. Sæpe in talibus videndis est curiositas hominum, et novitas invisorum; et modicus reportatur emendationis fructus: maxime ubi est tam levis et sine vera contritione discursus. Hic autem in Sacramento altaris totus presens es, Deus meus, et homo verus, Christus Jesus: ubi et copiosus percipitur æternæ salutis fructus quotiescumque fueris digne ac devote susceptus. Ad istud vero non trahit levitas aliqua, nec curiositas aut sensualitas; sed firma fides, devota spes et sincera caritas. O invisibilis conditor mundi, Deus! quam mirabiliter agis nobiscum! quam suaviter et gratiose cum electis tuis disponis, quibus temetipsum in Sacramento sumendum proponis! Hoc namque omnem intellectum superat: hoc specialiter devotorum corda trahit et accendit affectum.*

teratoris, diuturnum Yezido fecerit imperium, is immo mortaliter elanguerit post, sibi caram, a se suffocatam inter lusus acino uvæ servam, statimque post sesquiannum a regno obierit: Ulidus ejus successor et filius turpissima Sarantapechym morte punivit, quasi paterno sanguine sontem, cultumque imaginum toto suo in imperio revocavit.

Sub eodem autem tempore Leo Isauricus græcus imperator, a Judæis æque pellectus, necnon impio ab episcopo Constantino, bellum movit in imagines harumque defensores; S. Germanum Cpnum jubens strangulari, Joannemque Damascenum dextera mutilari faciens artificio mendacii: quæ tamen eàdem ei die beneficio Virginis restituta fuit. Sic belligeravit et internecione magis sæviit in Magnates sanctosque viros Constantinus illius filius, agnomine *Copronymus*, quod ipsius κόπρος *stercusve* spurcarit baptismi fontem; præbens sic omen, adulti impietate regnatoris, Dei Ecclesiam fore conspurcandam: etsi tandem carbunculis crura depastus mortique proximus, aduri se clamans infernali febris ardore ob Deiparæ violationem cultus, ipsam ideo in posterum coli ab omnibus jussit. Hujus dein filius, *Leo*, Leonem avum *Iconomachum* imitatus est; at eodem ipse morbo in capite, abstracta jam e templo corona redimito, correptus fuit enectusque statim.

Verum Constantinus alter, ejus filius hæresque regni, proscriptum attritumque cultum reduxit

instauravitque, pientissima sub tutela Irenæ matris, coacto Œcumenico Conc. Nicæno II, cujus hac de re fidem definitionemque Papa Hadrianus adprobavit. Nec in Occidente eamdem interea, quod nota, Carolini libri sub Carolo M. editi reprobarunt; nec Francofurtensis temeravit Synodus, nec Parisiensia Comitia: Francofordiensis istius ex. c. Synodi canon 2, ex Binio aliisque, latriæ dumtaxat adorationem aut debitum Deificæ Trinitati servitium sacris imaginibus abjudicat, et nonnisi Cpnum sub Copronymo conciliabulum perstringit, utut nonnulli Theologi refragentur. Claudius utique Taurinensis oriundo Hispanus, Felicis Orgelitani alumnus, in Occidente velut unicus aut primus Iconoclasta traducitur, quippe qui vesanus imaginum temeravit oppugnavitque cultum.

§. 11. In idipsum IX sæculo facem belli iterum accenderunt in Oriente imperatores Leo Armenus, Michael Balbus et Theophilus: quam vero subinde restinxit augustissima cum filio piissimaque Theodora, fideique athletæ S. Theodorus Studita sanctissimusque Methodius aliique.

Ipsam tamen denuo sufflaruut in Occidente, post Wiclefistas, sæculi VI Novatores, Andreas Carlostadius inter cæteros, Philippus Melanchthon, Huldericus Zuvinglius et Lutherus ac Calvinus. Lutherani quidem religiosum erga imagines honorem execrantur ut idololatriam, etsi earum usum ad ornatum saltem admittant in templis. Calviniani autem, dum etiam idololatriæ terricula

faciunt, terrisonisque verbis strepunt ad invidiam, ne ad ornatum quidem in templis excipiunt; sed, quasi commiserantes, misera illis hospitia concedunt in profanis solum ædibus, sicut idola Gentium nos in musea recipimus.

Distinguas hic porro imaginem ab idolo, caveasque a lexicographis Protestantibus, qui ea confundunt, Roberto Stephano, Scapula aliisque, teste Perronio. Est imago, sic vocata ab *imitando*, similitudo personæ seu rei, vere subsistentum, ad istas repræsentandas expressa; prout Dei, Angeli, hominis, equi, ignis artificiosa expressio. Idolum e contra est falsa rei similitudo, videlicet id repræsentans, quod vel nullo modo subsistit, vel non tale existit, quale honoratur et colitur; uti simulacrum Jani bifrontis, bovis Ægiptiorum, eorum *Apis*, eorumve ex Augustino *Serapis*: quare, quoad naturam divinam superstitiose in eo creditam, *nihil est idolum in mundo*, inquit Apostolus. Christi igitur Sanctorumque imagines non sunt idola, non falsa simulacra, non superstitiosa sculptilia, non objecta primaria cultus, non pinguis est nec ulla ullo modo idololatria. Neque hujuscemodi sunt spiritalis Dei intellectilisque Angeli imagines: quæ non ad simplicem immaterialemque naturam exhibendam pinguntur, sed ad memorandam externam ab his exhibitam quandoque speciem, quasdamve illorum perfectiones sensibiliter exprimendas imprimendasque mentibus; uti promptitudinem ministerii Angelici per alas, eo-

rumque vigorem per formam juvenis. Nunc ad dogmata.

§. 12. Quomodo Deus in antiquo Fœdere non omnem vetuit imginem pingere aut sculpere; nam illius immo jussu repræsentarunt Judæi super Arcæ latera imagines duorum Cherubim aureas, et rursus serpentem aheneum in aspicientium salutem erexerunt: ita in novo Pacto imagines etiam ac statuas sanctissimæ Triados atque Angelorum efficere et in Templis exponere licet. Etenim non Angelici solum spiritus sub sensibili forma apparuerunt: sed et persona Patris Jacobo apparuit in mystica scala, necnon Jesaiæ in excelso solio; ut persona quoque Filii hominibus in assumpta humanitate, et Spiritus Sanctus in columbæ specie Christo Jesu, in specieque linguarum ignis Apostolico consessui. De facto in vetustis musivis operibus occurrunt sæpe illiusmodi imagines. Sub his itaque speciebus sensibilibus eas penicillo aut scalpro personas exprimere in temploque expromere fas est. Atque hæc profecto veritas, quoad Angelos spectat, sancita jam est de fide in VII Conc. œcumenico act. 7: quoad Deum vero trinum ac simplicissimum, cujus sensim imagines invaluere a sœc. XIII, etsi non expresse sancita illa sit; erronea est tamen contraria sententia quorumdam Hæreticorum, qui Dei saltem Angelorumque imagines traducunt illicitas.

Rursum non Christi Domini solum, sed et servorum Christi Sanctorumque imagines statuasque ad cultum elaborare et religiose ubivis ex-

hibere perquam licitum est. Ita catholica fides: neque diutius in hoc hæreo dogmate. De Christo, qui divina potitur sensibilique humana natura, quid dubii? Recole, quæ de ejus simulacris præcedenti libro jam diximus. Adde, testari Tertullianum lib. de *pudicitia,* in sacris Jesum calicibus sculpi sub forma pastoris, inventam succollantis ovem; cujus simile nunc monimentum Neapoli in catacumbis invisitur: addeque, testari Trullensem Synodum, sub mitis Jesum innocentisque Agni specie fuisse depictum.

Nil dubii insuper circa Sanctorum effigies; quas inter memora item illas intemeratæ Reginæ Sanctorum, quas a B. Luca pictas fert antiqua traditio fidelium: memora tot effigies apud Archæologos, Casalium, Ciampinium, Fabrettum cum Blanchinio, Marangono, Mamachio, tot illa apud eos symbola in lapidibus, gemmis, anulis, lucernis, sarcophagis antiquissimorum piissimorumque Fidelium. Adjice etiam, post Synodum VII, seu Nicænam sub Hadriano secundam, Tridentini Concilii in suo sess. 25 decreto definitionem, totiusque Ecclesiæ in habendis venerandisque sacris omnibus imaginibus constantem nullo non ævo consuetudinem. Hæc porro suam semper habuit utilitatem, ex VII Synodo; quum non idiotis solum, sed gravibus etiam viris sacrarum imaginum profuerit aspectus. Transmitto Mariam Ægyptiacam, quæ ex imaginis B. Mariæ contuitu, uti post alios inquit Petavius, admirabilem illum ac toto orbe prædicandum hausit pœnitentiæ ac

devotionis affectum: neque tamen Gregorium prætereo Nyssenum, tanta doctrina virum, qui de seipso testatur, ad Abrahami et oblati ab eo unici filii picturam sese vim lacrymarum uberem profudisse. His sane picturis, veluti fomentis, bonorum affectuum incalescit ignis, ut malis ac turpibus malorum ac turpium flammæ exardescunt.

§. 13. Sacræ itaque imagines omnes cultu earum prototypis proprio, hisque ultimate directo, sunt adorandæ. Post dicta, in hanc fidem ex abundanti fuerit primævæ traditionis testem excire Nicænum generale II, vel sola hæc Tridentini verba perpendere; quæ loco laudato ita decernunt: *Imagines Christi*, (nec excluduntur Triadis imagines), *Deiparæ Virginis et aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas ac retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.* Sic enimvero contra sacrilegos robur obtinet, concludebat antiqua Nicæna Synodus act. 4, SS. Patrum nostro-

rum doctrina, idest traditio sanctæ catholicæ Ecclesiæ.

Nonne et tui Imperatoris imaginem civiliter adoras, quia similiter adoras Imperatorem? ergo quia piissimus veneraris absolute Regem regum Deum ejusque regiæ cœlestis Aulicos; ita respective ipsorum imagines pius et religiosus adora. Ah! quantum impietatis adversus sacratiorem Crucifixi imaginem (quo non trahit seditiosa rabies ac irreligio?) Massiliæ cum iis exhorruisses, de quibus italus Monti in sua *Bassvilliana!*

« Videro, ahi vista! in mezzo della folta
« Starsi una croce, col divin suo peso
« Bestemmiato e deriso un' altra volta.
« E a piè del legno redentor disteso
« Uom coperto di sangue tuttoquanto,
« Da cento punte in cento parti offeso.

Heic vero hujusce hominis spiritus de impiis ita loquens inducitur:

« Perocchè dal costoro empio furore.
« A gittar strascinato (ahi parlo, o taccio?)
« Dei ribaldi il capestro al mio Signore;
« Di man mi cadde l' esecrato laccio,
« E rizzarsi le chiome, e via per l' ossa
« Correr m' intesi e per le gote il ghiaccio.
« Di crudi colpi allor rotta e percossa
« Mi sentii la persona, e quella croce
« Fei del mio sangue anch' io fumante e rossa.

Cultus hujusce tamen modus terminusque præcisus variis Theologorum intricatur judiciis: sic autem tibi breviter illius extrico indaginem, quam

aliqui transeunt insalutatam. Non itaque eorum probo palpoque sententiam, qui imaginem volunt adorari posse non cum suo solum prototypo, sed etiam ita seorsim, ut illa sit totalis adorationis terminus, sitque interim prototypus ipsius fundamentum adorationis: nec sententiam admitto oppositam, quæ, dum nullo pacto vult imaginem ut terminum adorari, eam sciscit esse tantum conditionem aut signum, quo excitemur ad signatum exemplar adorandum, ut terminum illius nostri cultus unicum atque totale. Nimis juxta dicta transilit prior sententia convenientis metam honoris: a meta veræ adorationis imaginum altera nimis abscedit. Tertiam aliam Vasquesius impense propugnat, quod videlicet cum effigie prototypus coli sic debeat, ut internum submissionis affectum sibi totum attrahat exemplar, trahat autem sibi externam corporis demissionem effigies, uti flexionem poplitis aut sacram osculationem: sed hæc externa corporis demissio sine vera in spiritu erga imagines adoratione non veram, quam Majorum instituta postulant, adorationem; adeoque nec veram opinionem ponere videtur. Itaque probanda videtur hæc demum quarta sententia, quod cum interne tum externe una cum prototypo effigies sit directo, per modum unius, honoranda cultu; adeo ut primario quidem ad prototypum, propter semetipsum, et secundario terminetur ad imaginem. Annon, juxta prædicta, hoc in scito splendidiora micant fulgura veritatis?

§. 14. Relativum igitur hujuscemodi cultum impendamus Trinitatis Christique imaginibus, sed *latriæ* tamen aut summum. Imaginibus vero Christi Matris, *hyperduliæ;* at *duliæ* simplicis cultum imaginibus Angelorum beatorumque in cœlis hominum convenienter erogemus. Neque hosticos Hæreticorum veterum modernorumque Iconomachorum enses, obtusos jampridem atque confractos, diutine moror; quippe ex dictis traditisque, quoties ii recudantur, non dubia toties fortuna atterendos. Ita Illiberitanum Hispaniæ concilium, quod Berardo in Gratiani canones haud genuinum apparet, can. 36 non cultum picturarum, sed picturas parieti impressas, in Ecclesiis non esse jussit, hoc pro temporum ratione adhibito disciplinæ temperamento; ne tum scilicet ingruente turbine persecutionis profanarentur ab irrisoribus Sectariis furentibusque Paganis, neve periclitaretur tenera religio neophytorum, qui facile tunc dierum prætextu imaginum ad idololatriam redire potuissent. Consule Card. de Aguirre in *Collect.* Conciliorum omnium Hispaniæ. Sic libri Carolini superstitiosum dumtaxat, quem errore facti Græcis affingebant, cultum objurgant ac damnant. Ita transfigunt pariter Hieronymus aliique PP. absonum solummodo superstitiosumque cultum. Denique, *libri S. Epiphanii*, respondent Nicæni Patres, *notissimi sunt: quæ autem objiciuntur*, uti ad Theodosium Imp. literæ, *penitus ignota.*

Eccur ergo, insistis, Gentiles abominamur? nonne eadem, quæ ipsi fecerint, et nos abjecta

Cum Approbatione.

